


CENTVRIA
Quinta
QVAESTIONVM
ILLVSTRIVM PHILOSO.
PHICARVM.

In inclyta VVittebergensi Academia

publicis disputationum exercitijs


Sub praesidio

M. Iacobi Martini Profess. publici
discussarum.



WITEBERGÆ,

Excudebat Martinus Henckelius, Sumptibus
Pauli Helvigiij Bibliop. 1608.






QV AESTIONVM

Illustrium Philosophicarum in Centuria
hac quinta Contenta-
rum

I N D E X.

Questiones Logicae.

- 
1. *Utr. sint species demonstrationis. d. 1. q. 1.*
 2. *Quid sit definitio & quatuorplex. d. 1. q. 2.*
 3. *An definitiones causales, partiales, & accidentales sint potius descriptiones, quam definitiones. d. 2. q. 1.*
 4. *Quomodo definitiones sese habeant ad demonstrationem. d. 2. q. 2.*
 5. *An secundum tres illos necessitatis gradus, artium praecepta informanda. d. 3. q. 1.*
 6. *An sit syllogismus Dialecticus. d. 4. q. 2.*
 7. *An Topicus syllogismus reā dividatur in Notionalem & Realem. d. 5. q. 1.*
 8. *An syllogismi huius, qui habetur apud Philosophum 1. post: *anlyt.* 1. 96. id quod non scintillat, propè est: *Planeta non scintillant: Ergo planetae propè sunt: minor propositio sit affirmativa vel negativa. d. 5. q. 2.**
 9. *An differat inventio dialectica à Rhetorica. d. 7. q. 1.*
 10. *Quomoda praecepta Aristotelica de *εὐωπία* syllogismorum Dialecticorum sit ad usum transferenda. d. 7. q. 2.*
 11. *An de sophisticis Elenchis in Logica tradi debeat. d. 8. q. 1.*
 12. *An doctrina Sophistica simpliciter cognoscatur ex nuda saltem cognitione locorum Inventionis, ut non opus sit peculiari tractatu. d. 8. q. 2.*

13. An Methodus & ordo rectè distinguantur d. 9. q. 1.
 14. Quòd sint numero Methodi & ordines d. 9. q. 2.
 15. Num ordo rectè distinguatur in compositivum & resolutivum d. 10. q. 1.
 16. Num in omni ordine procedamus ab universalibus ad particularia
 d. 10. q. 2.

Quæstiones Metaphysicæ.

1. Quæ sit ratio Caussandi efficientis d. 1. q. 3.
 2. An res alia præter Deum revera agant d. 2. q. 3.
 3. Num res creata sive finita aliquid possit creare sive ex nihilo produ-
 cere d. 2. q. 4.
 4. Vtrum mundus solo generali concursu Dei æternum durari possit
 d. 2. q. 5.
 5. An accidentia habeant materiam d. 3. q. 2.
 6. An compositum sit perfectius forma d. 3. q. 3.
 7. An res finita agere possint, non concurrente ad actionem primo a-
 gente d. 3. q. 4.
 8. Vtrum finis sit vera causa d. 3. q. 5.
 9. Quæ sit ratio caussandi causse finalis d. 3. q. 6.
 10. An in rebus Philosophicis potius attendenda sit ratio, quàm autori-
 tas d. 4. q. 1.
 11. An finis sit causa secundum intentionem, uti vocant, an verò secun-
 dum esse reale d. 4. q. 3.
 12. An rationes caussandi, seu caussalitates (uti vocantur) sint entia
 absoluta à suis causis & effectibus distincta d. 5. q. 3.
 13. An eiusdem effecti plures possunt esse causa coniunctim d. 6. q. 1.
 14. An idem contrariorum causa esse possit d. 7. q. 3.
 15. Num causa & effectus sint simul d. 7. q. 4.
 16. An ea, quæ differunt, possint esse continua d. 9. q. 3.
 17. An ea, quæ sunt continua, eandem formam habere possint d. 9. q. 4.
 18. Num aliquid præter Deum sit necessarium simpliciter d. 10. q. 3.
 19. Entia necessaria an causam habeant d. 10. q. 4.

Quæstiones Physicæ.

1. An Aristoteles lib. 1. de cælo cap. 4. rectè probaverit, nullum motum
 Circulari esse contrarium d. 1. q. 4.

2. An plures sint mundi, an unus tantum d. 1. q. 5.
3. An lumen ad visionem requiratur tantum ratione medij: vel tantum ratione obiecti: an vero ratione utriusq. d. 1. q. 6.
4. Quae huius mundi partes, earumq. ordo, situs, motus & quantitas. d. 1. q. 7.
5. An caelestes orbis vel corpora sint animata. d. 2. q. 6.
6. An ipsum lumen videatur. d. 2. q. 7.
7. An caelum sit praestantissimum corpus. d. 3. q. 7.
8. An corpora caelestia agant in haec inferiora. d. 4. q. 4.
9. An corpora caelestia tantum motu cum lumine, an vero alijs quoque occultis qualitatibus instuant. d. 4. q. 4.
10. An statio solis & Lune Iosue 10. solis item regressus 4. Reg. 20. derogaverit regularitati motuum caelestium d. 4. q. 7.
11. An caelum sit corpus naturale simplex. d. 5. q. 4.
12. An cessante motu caeli, cessent necessario omnes motus actionesque corporum inferiorum. d. 5. q. 5.
13. An effectus aliquis naturalis respectu caeli casu eveniat. d. 5. q. 6.
14. An generatio unius sit corruptio alterius. d. 5. q. 7.
15. Qui fiat, quod mare salsum sit, & incendia non tam extingat quam alat. d. 6. q. 2.
16. Quae nam causa aestus, sive fluxus & refluxus marini. d. 6. q. 3.
17. Quid de succino statuendum. d. 6. q. 4.
18. An virtute corporum caelestium animantia produci queant. d. 6. q. 5.
19. An animalia, quae vi astrorum ex putri materia gignuntur, sint eiusdem speciei cum alijs eiusdem nominis, quae semine procreantur. d. 7. q. 5.
20. An ex siderum observatione certi quid praenunciare possint Astolog. d. 7. q. 6.
21. Quod nam sit primum ac precipuum natura significatum. d. 8. q. 3.
22. Vtrum natura recte ab Aristotele in Phisicis definita sit, d. 8. q. 4.
23. An caelum sit praeditum figura globosa. d. 8. q. 5.
24. An globi caelestes quo altiores eo nobilioris naturae sint. d. 8. q. 6.
25. An corpora caelestia inter se specie distinguantur. d. 9. q. 5.
26. Cur motus naturalis circa finem sit velotior, quam in principio d. 10. q. 5.
27. An vulnera, obligatis tantum armis, sanari possint d. 10. q. 6.



Quæstiones pertinentes ad doctrinam de anima.

1. An organum visus sit igneum, an verò aqueum. d. 4. q. 6.
2. Medium visus quodnam sit. d. 5. q. 8.
3. An sonus semper realiter attingat aures. d. 7. q. 7.
4. An odores nutriendi vim habeant. d. 8. q. 7.
5. Quot numerentur sensus interni. d. 9. q. 6.
6. Num sensus exteriores distinguantur, distinctis in cerebro ventriculis. d. 10. q. 7.

Quæstiones Ethicæ.

1. Quomodo in nobis scientia producat. d. 2. q. 8.
2. Prudentia quotuplex & quid sit. d. 3. q. 8.
3. A quo in nobis producat. Prudentiæ habitus. d. 3. q. 9.
4. An virtus sit mediocritas simul & extremitas. d. 5. q. 9.
5. An de fine sit consultatio. d. 5. q. 10.
6. In quo consistat Heroicæ virtutis eminentia. d. 6. q. 6.
7. An idem sit mentiri & falsa dicere. d. 6. q. 8.
8. Quid sit feritas. d. 7. q. 8.
9. An feritas sit deterior vitio morali. d. 7. q. 9.
10. Quotuplex sit amicitia. d. 9. q. 7.
11. Amicitia quid sit. d. 9. q. 8.
12. An necesse sit, ut, qui amat, ab amato vicissim ametur. d. 9. q. 6.
13. An amicitia sit virtus. d. 10. q. 8.
14. Amicitia utrum magis consistat ἐν τῷ ἑλθῆν, quàm ἐν τῷ εὐχῆσθαι. d. 10. q. 9.

Quæstiones politicæ.

1. An ancille sint virgines. d. 1. q. 8.
2. An spectacula, Chorea & ludi in civitate ferendi. d. 1. q. 9.
3. An vocalis, & instrumentalis musica omni ætati conveniat. d. 1. q. 10.
4. Musica ad quid conducatur. d. 2. q. 9.
5. An ἀποκαθαρτικὴ sit licita. d. 2. q. 10.

6. An

6. *An gravius punienda mulier adultera, quam vir. d. 3. q. 10.*
7. *Vtrum privatim, an in scholis publicis erudiri liberos praestet. d. 4. q. 8.*
8. *An ex Platonis decreto ante annum aetatis quinquagesimum futuro politico non peregrinandum. d. 4. q. 9.*
9. *Vtrum gravius puniendum adulterium, quam homicidium. d. 4. q. 10.*
10. *An teneamur semper omni loco & tempore vera dicere. d. 6. q. 7.*
11. *An peregrini jure civitatis donandi. d. 6. q. 9.*
12. *An Iudaei in rebus publ. bene constituti sint tolerandi. d. 6. q. 10.*
13. *An possint dari rationes, ob quas praevita mors sit eligenda homini. d. 7. q. 10.*
14. *An certamina singularia sint concedenda. d. 8. q. 8.*
15. *An dimicans singulari certamine teneatur permittere interfici, vel potius se victum tradere. d. 8. q. 9.*
16. *An sagarum per aquam frigidam probatio sit licita. d. 8. q. 10.*
17. *Vnde Pontifices Romani tantas divitias, tantam dignitatem atque potentiam acceperint. d. 9. q. 10.*
18. *An bellum Christianis gerendum. d. 10. q. 10.*

ERRATA.

Disput. 1. q. 1. d. 5. l. 2. tantum. q. 2. d. 4. l. 11. herbarum. l. 15. impotens. q. 3. d. 2. l. 2. potentia. q. 4. d. 3. l. 1. primum l. 3. quo transitur. d. 14. l. 3. recta. q. 6. d. 6. l. 13. ipse. d. 11. l. penult. Consistentiam. q. 8. d. 2. l. 11. mulieritas. d. 4. l. 16. non absimiles. l. 23. habebant. l. 34. studiosi nostri. q. 9. d. 5. l. 11. indecoram. d. 6. l. 1. lascivas. d. 7. l. 2. hastas vibrare. Disput. 2. q. 3. d. 2. l. 5. arbitrium. q. 6. d. 4. l. 15. metricibus. q. 8. d. 2. l. 4. non q. 9. d. 6. l. 13. Empedocles. Disput. 3. q. 5. d. 3. l. penult. metaphoricam. q. 6. d. 2. l. ult: horum. Disput. 4. q. 1. d. 3. l. 1. rebus. q. 4. d. 2. l. 3. sui similit. q. 9. l. penult. Iasone. q. 10. d. 1. l. 2. Iehova. d. 2. l. 8. quod testatur. d. 3. l. 5. Clytemnestra. Disput. 5. q. 5. d. 3. l. 7. proditum. q. 7. d. 1. l. 2. generandarum. Disput. 6. q. 2. d. 2. l. 8. terra. d. 5. l. 7. corroborari. d. 6. l. 7. Si enim non putresceret. d. 7. l. 7. Syracusano. q. 3. d. 4. l. 9. turgescant: aut quando aestuum futura intermissio. d. 5. l. 10. cap. 8. q. 4. d. 2. l. 17. inique d. 4. l. 2. illi impressas. d. 5. l. 5. pag. 283. q. 8. d. 1. l. 3. vera. q. 9. d. 1. l. pen. exprobratis. q. 10. d. 2. l. 1. igni. Disput. 8. q. 1. d. 1. l. 7. nihilominus.

~~de~~ ~~hominu~~. d. 8. l. pen. ~~naturam~~ veneni cognoscimus. q. 2. d. 2. l. 4. sufful-
cienda. q. 3. d. 1. l. 7. Dicitur natura. d. 2. l. 10. asserunt. q. 5. d. 6. l. 18. Altera. q.
9. d. 1. l. antep. sapidis quidem. q. 8. d. 1. l. 5. provocabat. l. 14. prahensis. d. 7. l.
4. vindictam. q. 9. d. 3. l. 5. Eam ob. l. 6. victos. l. 7. invictos. l. 8. eos. l. 9. sed l.
10. custodiunt. Disp. 9. q. 2. d. 1. l. antepen. compositivum. Disp. 10. q. 1. d. 1. l. 4.
Crelius d. 4. l. ult. quod. d. 5. l. 3. Natural. d. 8. l. 4. pro 34. 3. 4. q. 2. d. 1. l. 8. ~~ex~~
~~ca~~ d. 2. l. 4. senta. q. 3. d. 2. l. 8. γ Metaph. d. 3. l. 3. ex d. 6. l. 2. eas. d. 9. l. 8. c. 2.
& l. ult. c. 2. q. 4. l. 11. l. 2. pro τ i, τ o. & l. 5. c. 8. & l. 8. aut & l. 16. lib. 2. de A-
ni: d. 12. l. 1. percipias. & l. 4. re q. 4. d. 2. l. 4. quicquid. q. 5. d. 1. l. 4. explosa d.
2. l. 8. contra naturam. d. 3. l. 13. lib. 11. cap. 1. d. 5. l. 1. q. 1. a. 2. q. 6. d. 1. l. 2. ar-
ma d. 2. l. 2. contactum. d. 3. l. 8. Heus. & l. 12. quodam. q. 7. l. 8.
interiores. d. 2. l. 1. Arabum q. 8. d. 1. l. 6. Nicom.

Cetera benevolus lector
ipse corrige.





D. O. M. A.
DISPUTATIO I.
Centuriæ Quintæ

QUÆSTIONUM
ILLUSTRIUM

Philosophicarum,
*In Inclitâ Wittebergensi Academiâ
Publicè*

Proposita

PRÆSIDE

M. Jacobo Martini

Logices Profefs. Publ.

RESPONDENTE

Martino Phaleno Pri-
mislaviensi March.

*Ad diem 27. April. in auditorio Collegij
veteris.*

WITTEBERGÆ,
Typis Martini Henckelij Anno
M. DC. VIII.



50



VIRIS,
REVERENDIS, EX-
cellentissimis, exquisita do-
ctrina & omni virtutum
laude conspicuis:

*Dn. M. Luca Tabberto Pastori ac Praeposito
templi ad D. Iacobi, apud Sedinenses vigilan-
tissimo avunculo suo optatissimo.*

*Dn. M. Paulo Schertzio Ecclesiasti ad D. Ni-
colai Primislaviensium dignissimo.*

NEC NON

Eximia, pietate, praecleara eruditione, integritatis laude
eminentissimo, & prudentissimo Viro,

*Dn. Ioachimo Beerentinn. inclyt. Reipub. Pri-
mislaviensis Senatori dignissimo & primario.
Dn. affini suo officiosè observando.*

Singularibus suis promotoribus & fautoribus
summâ perpetuaque fide colendis.

Hoc Philosophicum γύμνασιον

& debita observantia τιμῆσιν

O. D. & G.

*Martinus Phalenus Primisl. M.
Respond.*

nam propter Quid. 2. Quod. 3. Potissimam; Cujus sua thesauri-
rationem hanc struunt. Quicquid demonstratur, necesse est, ut
demonstretur per medium essentiale, idq; vel prius est, vel po-
sterius re demonstrandâ: Si demonstratur per medium poste-
rius, tunc oritur demonstratio Quod; si vero demonstratur
per medium, quod prius est; illud vel erit inventum; vel non;
si non est inventum, hoc est, si non nobis notius, tunc erit de-
monstratio propter quid saltē: si vero est inventum, id est, si no-
bis est notius & sensui etiam innotescit, tunc emergit demon-
stratio potissima; qua simul quod sit res & propter quid sit no-
tificat; Sub eodem hoc censu sunt; qui adhuc plures addere vo-
lunt; sc. demonstrationem, qua ducit ad impossibile item à cau-
sis remotis, ab effectis remotis &c.

Argumentum intricatum magis est, quam solutum diffici-
le. Ad rationem igitur demonstrationem & dicitur & utriusque di-
stinguentem, respondemus negando; siquidem discrimen ficti-
cium pro vero arripuerunt hujus sententiae patroni; Est enim
communis, omnium demonstrationum conditio, ut fiant ex noti-
oribus nobis; sed tantum hoc discrimine, quod demonstrationum
alia sunt ex notioribus nobis; servantibus ordinem naturae; ut
illa omnes, quae à causis ad effecta progrediuntur; alia vero ex
notioribus nobis ordine naturae contrario utentibus, ut illa, quae
ab effectis ad causas procedunt, ideoq; dicuntur ex nobis notis
tantum, illa vero ex nobis notis & natura. Contra vero nos sic ar-
gumētamur, Principia quae sunt notiora naturae & nobis sunt pri-
mò cognita; non inventa per aliud; Vt autem in demonstratio-
ne ejusmodi principia collocentur, vel est conditio essentialis ac
necessaria potissima demonstrationi; vel non est, Si est; Aver-
roes falsum dicit, quando ait demonstrationem & dicitur & de-
monstrationē utriusque in conditionib. nō discrepare: si vero nō est:
ut revera nō est: E, ad naturā demonstrationis nō pertinet, sed est
accidens.

accidens, quod naturam demonstrationis mutare non potest. Ad alteram opinionem brevitatis causa tantum dicimus, nullo modo species superadditas à prioribus distinctas esse posse. Et quidem demonstrationem ad impossibile, quod attinet; illam ad ἀνάλωστον potius seu λῦστον demonstrationis pertinere, quam quod novas species constituat.

Ex altera parte sunt; imprimis Avicenna; qui unam tantum demonstrationis speciem statuit scilicet δῖον. Et demonstrationem ab effectu, indignam esse nomine demonstrationis constanter asseruit, & ad id probandum usus est argumento valde efficaci; quod tale est: Omnis demonstratio est argumentum necessarium & ex propositionibus necessarijs constans: At Syllogismus ab effectu, non est huiusmodi: E, non est demonstratio, Majorem probat ex Aristotele, qua alias probatione non indigisset, l. i. post. cont. 31. ubi inquit, nisi ex necessarijs syllogismus fiat, non possumus ullam habere scientiam neque propter quid sit, neque quod sit; Minor autem sic probatur. In demonstratione ab effectu accipimus pro principio inhaerentiam accidentis in subjecto, qua necessaria est propter causam, à qua ipsum accidens fuit; Et quid multis? effectum sine causa nunquam cognoscitur, ut Aristotele expresse docet, l. i. post. cont. 39. ubi dicit; Cognoscere rem esse, absque causae cognitione, non est cognoscere rem esse, sed potius ignorare; res enim ut est, ita etiam cognoscenda est: Sed est propter suam causam, per illam igitur cognoscenda est.

Respondemus & Avicennam deceptum esse cum non satis expendit tres illos gradus certitudinis cognitionis nostrae, neque illas satis accurate distinxerit. Primus gradus est, quando cognoscimus necessitatē rei habētis causam per cognitionē causae; ut quando cognoscimus hominē esse risibilem, propterea quod est rationalis. Secundus est, quando eandē ejusdem rei necessitatē

A. 3.

cogno-



cognoscimus absq; cognitione cause; ut quando cognoscimus hominem esse risibilem absq; cognitione rationalitatis. Tertius est; quando cognoscimus necessitatem propositionis de omni; quæ non sit per se, ut omnem corvum esse nigrum; quia cognoscimus universitatem & perpetuitatem illius accidentis, in illo subjecto; Cujus nulla est causa, quæ ad corvum, quatenus corvum pertineat; quæ cognitio necessitatis admodum debilis est; quoniam etsi sensus videt omnem corvum esse nigrum; mens tamen dicit posse corvum non esse nigrum & album corvum cogitat; quia nulla est essentialis connexio nigredinis cum natura corvi. Hunc ultimum cum primo modo Avicenna tenuisse videtur, & medium cum ultimo confudisse. Predicatum enim essentialiter inhaerens quando per causam cognoscitur, per quam essentialiter ac necessarium est, summa cum certitudine cognoscitur; idem autem sine causa cognitum negavit Avicenna plus habere certitudinis, quam habeat propositio, quæ sit solum de omni; ut eadem certitudine cognoscatur à nobis illa propositio: Omnis corvus est niger, atq; illa; omnis homo est risibilis: quando sine causa cognoscitur, quod quidem si verum esset, argumentum Avicenna demonstraret.

7 Neq; + hoc argumentum sic quasi pede praterire possumus, quod pro clypeo Achillæo obvertit; Aristot. 1. poster. cont. 50. & 55. talem syllogismum non vult appellare demonstrationem, sed vocat Syllogismum à signo, & dicit per eum sciri id quod est per se, non tamen quatenus est per se: quia sine causa scitur, non facit igitur cognoscere rem esse necessariam: Resp. Verba illa Aristotelis per comparisonem intelligenda sunt; Nam propositionem illam omnis homo est risibilis magis cognoscimus esse per se, quando proximam causam distinctè cognoscimus; quam si per solum hominem; qui causam illam confuse significat ipsam noscimus; tamen hoc quoq; modo per solam subjecti
cognis

cognitionem cognoscimus, eam esse per se; Debilius tamen est
minus certe; quo fit, ut certissima scientia comparatione dicat
Aristoteles ibi non cognoscivimus per se; Interim tamen non
negat, dari alteram speciem, imo eandem asserit:

Restat † jam, ut nostram & veram cum classicis Philoso- 8
phia peripateticæ sectatoribus addamus sententiam. Detectis
igitur illis de vijs, dicimus demonstrationis species esse duas, al-
teram secundum prius: alteram secundum posterius dictam, il-
lam à Græcis & δῖον, seu propter quid, à priori, à causa indigitatā:
hanc verò demonstrationem ab effectu, & ὄν, à posteriori, Quia
vulgo appellatam.

Quam † nostram assertionem adversus Adversariorum 9
ἀπώσιον & ἀγνοίας munimus tali discursu. Demonstratio non
dicitur nisi syllogismus necessarius & ex necessarijs propositioni-
bus conflat; qui processum habeat essentialem, nimirum à cau-
sa ad effectum; vel ab effectu ad causam; quoniam igitur omnis
demonstratio aliquid esse ostendit; facit id duobus modis: sci-
licet vel per causam vel sine causa proinde per effectum; si per
causam; aut proximam aut remotam; per proximam quidem
fit demonstratio propter quid; quam dicimus potissimam ac
prestantissimam demonstrationem esse; per causam autem re-
motam, fit demonstratio solum quod, itaq; duæ summa species
demonstrationis dantur; habita ratione quaesitorum, quæ per
eas notificantur; una quæ rem esse demonstrat simul eum pro-
pter quid, altera quæ solum quod declarat, non propter quid: hæc
rursus in duas dividitur ratione medijs distinctas, sed non ra-
tione quaesitorum, quæ per eas notificantur, altera per causam
remotam demonstrat effectum; de qua diximus: altera per
effectum notificat causam: Alia demonstrationis species præ-
ter has, quia apud Aristotelem non datur, neq; ullam aliam
nos agnoscimus.

QUÆ

QVÆSTIO II.

Quid sit definitio & Quotuplex?

- 1 Demonstratiois + speciebus superiori Erotemate constitutis, & ab Adversariorum quorundam interpellationibus vindicatis: consequens est, ut jam τὸ τί ἐστίν, & κατ' ὄνομαζον, & κατ' ἔκθεσιν, sub disquisitionis incudem revocemus.
- 2 Est + autem definitio, quid res sit declarans, Aristot. l. 2. post t. 44. & dicitur grecis ὀνομαζον, quia terminat limitat q̄ definitum. Debet etiam definitio esse oratio una, non συνθεσις; sed, quia declarat unum de uno, ut definitum unum est, ita quoq̄ definitio unum esse debet; quippe quæ ab illo non nisi ratione distat; c. 5. de interp.
- 3 Definitio + alia est ὀνομαζον, nominalis: alia κατ' ἔκθεσιν realis.
- 4 Nominalis + est, quæ significationem tantum definiti explicat, Arist. lib. 2. post. t. 44. 45. Hanc ita definimus, quod cum proprie non sit definitio, revera quid res sit non declaret; sed solum quid sit nomen, vel quid τὸ λεγόμενον σημαίνει. Et est vel κατ' ἔκθεσιν; vel κατ' ἔκθεσιν ἑτυμολογίαν; illius potissimum dantur tredecim modi. 1. Quando res ἐννομητικῶς describitur; ut honestum id est, quod decet; sic Isid. lib. 2. c. 29. ex Mario Victorino. Describit hominem, quod sit id, quod rationali conceptione & exercitio ceteris animalibus præest, 2. sunt ὑποκειμενα, quæ accidentium enumeratione constant; Tales sunt Plinij & Dioscorida herbatum, item apud Poetas fama invidia q̄, descriptiones; & similiarum rerum; quæ interdum ob accidentium similitudinem; vel etiam incertitudinem ad anigmata accedunt, videntur q̄ Oedipo habere opus. 3. Sunt quæ rem describunt κατ' ἔκθεσιν; ut rex modestus est & temperans, Tyrannus impudens ac crudelis, 4. Quæ κατ' ἔκθεσιν; ut Adolescentia est

veo

ver etatis. 5. Qua κατ' ἀφάρσειν ἔναντις, ut virtus est vis
 tium fugere; 6. Hypotyposes personarum, vallis, Clivi, fontis,
 &c. 7. Qua κατ' ἐλλήψεις πλῆρες ὁμοίς γένεσι, ut Enthymema
 est, cui deest una praemissarum ut sit Syllogismus. 8. κατ' ἰσα-
 νον καὶ ψόρον, ut metaphysica est Scientiarum regina: Servitus
 est extremū omnium malorum, non modo bello, sed ipsa quoquo
 modo repellenda. 9. καὶ τὸ πατρὶς π, pater est cui est filius. 10. κατ'
 ἀναλογίαν, ut homo dicitur Deus; participatione, non naturā.
 11. ὡς ἐν τύπῳ ut ἕσταις διύπεραι sunt γένη & εἶδη; Animal est ut
 homo. 12. ἰσοδωαμῆνται; ut rixari est jurgio contendere; quo
 pertinent multiplices equivocorum distinctiones; quae rei defi-
 nitioni praemitti solent. 13. Notationes; quae fiunt per solutio-
 nem; vel divisionem compositionis nominis, ut mutuum est,
 quod ex meo fit tuum; testamentum est testatio mentis &c. Po-
 sterioris generis infinita exempla sunt apud Grammaticos; ut si ho-
 mo definiatur ab humo: pertinacia à pertendendo. Definitio rei
 dicitur, quae naturam ac essentiam rei explicat. Hanc itidē du-
 plicē constituimus; ἕσιώδη καὶ αἰτιώδη. Illam finimus; quae constat
 genere & differentia specifica; atq; haec propria substantiarū est:
 κατ' ἀναλογίαν tamen etiam accidentibus interdum convenit.
 Hec est, quae constat genere, subiecto adequato & causa: & pro-
 pria est duntaxat affectionis; cuius essentia declaratio fit, quan-
 do indicatur, per quam causam subiecto suo insit. Forma namq;
 semper per sua subiecta definienda sunt, etiam substantiales.
 Si igitur forma fuerit abstracta, sumatur subiectum pro dif-
 ferentia; Sin concreta sumatur loco generis: illo modo similita-
 tem defines, hoc simum.

QUESTIO III.

Qua sit ratio causandi causa effi-
 cientis?

B

Ex

I Ex multis \dagger efficientium causandi rationibus generalibus, tanquam huius questionis anfractibus, vera eliminanda est; cum plures pro veris se venditantes non incomitis rationibus veniant; Primum enim alia est ratio causandi, qua efficiens agit si-ve efficit aliquid: alia qua agit in aliquid: Quod inde manifestum videtur; quia ignis agit in ignem, seu potius efficit sibi similem; & tamen non agit in ignem sibi similem: Contraq; agit in lignum, nec tamen agit seu efficit lignum. 2. Agens refertur diversis specie relationibus ad id, quod agit, & ad id, in quod agit; siquidem ad alterum refertur ut efficiens ad effectum; ad alterum ut movens ad motum, vel mutans ad mutatum; quae relationes, specie diversa, necessario videntur innuere diversas specie agendi rationes, in quibus illae funduntur.

2 3. Alia \dagger est ratio agendi, qua agens educit formam \dagger potentia materia: alia vero qua illam inducit in materiam; quod hinc intelligi licet: quia anima rationalis non educitur de potentia materia, sed potius induci in materiam videtur; quod idem dicendum est de accidentibus supernaturalibus. Forma vero aliarum rerum, quae gignuntur & intereunt, non solum in materiam inducuntur; sed etiam ab eius potentia educuntur.

3 Adde \dagger quarto, quod alia est species relationis, qua agens refertur ad formam, quam educit de potentia materia: alia, qua refertur ad eam, quam solum inducit; quae etiam relationes, in diversis specie rationibus agendi videntur necessario fundari. 6. Tandem; alia est ratio agendi; qua aliquid fit ex aliquo: alia qua fit ex nihilo; quod ex eo patet; quia haec indiget virtute infinita in agente: illa non item.

4 Ex \dagger praemissis illis, si quis animum advertat, colliget forsitan actionem esse generalem causandi rationem causa efficientis, quodq; insuper alijs argumentis confirmatur I, quia actione posita, mox intelligitur causa agere; ea vero sublata, nullo modo ad intelligi potest: etiam si caetera omnia apponantur. II. Relatio

Ratio agentis in actione fundatur, ut habet Aristoteles lib. 3.
Metaph. cap. 14. III. Per actionem distinguitur hoc genus
causa à ceteris. IV. remota quidam actione adhuc rem dici
posse causam efficientem concedimus: nunquam tamen sine ra-
tione agendi, vel fingi posse efficientem causam, res ipsa loquitur.

Verum enim vero † cur huic sententia simpliciter subscri-
bere nequeamus, faciunt subsequentes rationes. 1. Quia actio-
nes sive transeuntes, sive immanentes, cum verè pendeant ab
agentibus; sunt verè effecta agentium: At ratio causandi, cu-
jus q̄ causa, cum antecedit natura ordine omnem ejus effectum,
non potest esse illius effectus. 2. Actio proprie dicta non differt
à re, qua fit, nisi ut imperfectum quippiam à perfectò in eadem
specie: veluti calor in fieri à calore in factò esse: res autem ut
adhuc imperfecta est; & in fieri, non est ratio agendi sui, sed est
effectus imperfectus, sive in fieri. 3. Actio non potest esse ratio
causandi respectu creantis: Cum creatio non sit actio proprie sic
dicta; non enim presupponit subjectum omni actioni proprie
ita dicta, commune.

Ergo † pro decisione questionis, ita rem explicamus. Com-
muni quidem loquendi modo (qui quidem nō facile rejiciendus)
actio dici potest ratio agendi; nomine actionis non accepto pro
operatione agentis, qua subjectum supponit: sed pro influxu;
quo aliquid e potentia ad actum perducitur; Hoc enim influxus
distinguitur causa efficiens à ceteris causis: cum eo posito primò
ponatur agens in actù; sublato autem primùm tollatur. At q̄
hic influxus planè ab Arist. lib. 5. Metaph. c. 2. significari vi-
detur, cum agens definitur esse id: ὅθεν ἡ δέξιη τῆ μεταβολῆς ἢ
πρώτη, ubi non dicitur, unde primùm oritur effectus, sed ἡ μετα-
βολῆ & mutatio: ut inde colligamus non ipsam μεταβολὴν, sed
influxum & originem τῆ μεταβολῆς, esse agendi rationem, agen-
tibus nempe per motum mutationemvè. Est itaq̄ influxus agē-
tis generalis & propria causandi ratio.

B 2

Quod



7 Quod + verò statim ab initio dicebatur, aliam esse ratio-
nem agendi, quâ agens efficit aliquid; aliam, qua agit in aliquid;
itemq, aliam, qua educit formam è potentia materia; & aliam,
quâ illam inducit in materiam; ac demum aliam, quâ fit res ex
aliquo: aliam, qua fit ex nihilo: Id tantum secundum qui d
verum est. Nam prima duntaxat & tertia dissentiunt: Me-
dia verò cum prima coalescit. Quandoquidum agere aliquid
& agere in aliquid, sepè conjunguntur, ut in omnibus mutatio-
nibus naturalibus: ubi autem illa conjuncta sunt, ambo fiunt
per eandem agendi rationem. Quo enim influxu ignis agit in
lignum, eodem prorsus efficit ignem ex ligno, nisi quodejus-
modi influxus terminetur prius natura ordine ad actionem in
ligno receptam, quàm ad compositum, quod ex actione oritur.
Tertia ab illis divortium facit: quia si res fiat ex nihilo, Sane
influxus, quo illa fit, non simul erit & actio in aliquid, & actio
alicujus, sed solum alicujus actio.

QUÆSTIO IV.

An Aristoteles lib. i. de cœlo cap. 4. rectè
proba-verit, nullum motum cir-
culari esse contrarium?

- 1 Ad questionem + hanc responderi nequit, nisi prius con-
stet, qualis sit illa, de qua quaritur, probatio. En ita dispu-
tat Philosophus. Si datur motus, motui circulari contrarius, is
aut erit rectus, aut semicircularis, aut circularis.
- 2 Non + rectus. Hic enim recto contrarius: Ergo non circu-
lari, nisi duo uni contraria esse absurde statuere velimus.
- 3 Non + semicircularis. Hac. n. contrarietas fieret tribus modis. Pr-
mò, si datur motus in semicirculo ab A ad B, qui ad ver setur motus
sog transitur supra vel infra datum semicirculū: At nulla hic esse
potest

potest contrarietas: quum enim supra & infra datum semicir-
 culum infiniti dari queant semicirculi, sequetur uni motui ad-
 versari in se nitos. Secundo si iterum detur motus in semicir-
 culo ab A in B qui contrarius sit motui, quo transitur per eun-
 dem semicirculum à B. in A. Neq; hic esse potest contrarietas.
 Rationem hujus ita ex Philosopho proponunt Connimbricenses:
 Quia, ut motus contrarij censeantur, opus est terminos quam
 maximè inter se distare: maxima autem distantia in latiori-
 bus spectanda est, & metienda secundum lineam rectam, non
 penes lineam inflexam. Siquidem omnem mensuram certam &
 definitam minimam q; esse oportet, cujus modi est linea recta, ja-
 cens inter duo puncta: qua imprimis non potest esse nisi una:
 Deinde est omnium linearum, qua inter qualibet duo puncta
 describi possunt, brevissima: cum infinita curva sive inflexa in-
 ter eadem duo puncta duci queant, quarum qualibet major est,
 quàm linea recta, descripta inter eadem duo puncta. Cum igitur
 ad contrarietatem maxima exigatur distantia, & distantia,
 qua inter duo puncta non secundum lineam inflexam, sed rectam
 mensuretur: Consequens est, motus qui per semicirculū fiunt,
 veram contrarietatem minimè sortiri. Tertio: si detur mo-
 tus per unum semicirculum alicujus circuli à C. per D. in E. cui
 contrarius esse debeat ejusdem circuli motus per oppositum, sive
 alterum semicirculum à C. per F. in E. vel ab E. per F. in C. Neq;
 hic est vera contrarietas. Nam licet quidem in datis illis par-
 tibus apparens sit contrarietas: Non tamen sufficit illa ad mo-
 tus simpliciter contrarios constituendos. Conclufum itaq; esto,
 motum semicircularem non esse contrarium circulari motui in
 cælo.

Neq; tandem motus perfectè circularis ab A in A, cir- &
 culari motui contrarius est. 1. Quia lib. 5. Phisicorum
 demonstratum est, illos motus esse contrarios, qui sunt à contra-
 rijs & oppositis terminis ad contrarios & oppositos terminos.

B 3

Atq;

Atqui circulares motus non sunt tales; sed ab eodem in eundem terminum: Ergo &c. 2. Si ita fingeretur motus contrarij, uterq; frustra esset & nullus esset. Si enim circulares isti motus dantur contrarij, concedendum utiq; est, utrumq; corpus, in orbem agitatum, undecunq; id moveri incipiat, ad omnia circuli puncta pervenire, cum omnia sint contraria, & omnia, quae contrarijs motibus feruntur, debeant opposita loca pertinere. Hinc porro ita inferitur: Corpora in orbem motibus contrarijs ita agitata, aut habent aequales vires, aut inaequales. Si aequales, negatur motus. Vbi enim aequalis virtus, ibi aequalis motus: ubi aequalis motus, ibi est aequalis actio & reactio, ubi hac, ibi nulla victoria; alterum enim corpus alterum superare nequit: concurrunt itaq; & se mutuo perpetua quiete vincula tenent: atq; id frustra. Si inaequales, non quidem negatur motus negatur tamen contrarius. Vbi enim dantur duo corpora in motu contraria, quorum alterum est fortius altero: ibi id, quod fortius est, vincit minus forte, & tantum movetur: hoc vero frustra est, cum non obeat suum motum & operationem, cuius gratia existit: Quia itaq; Deus & natura nihil faciunt frustra: illud minime asserendum est.

Huic + Aristotelis assertioni & disputationi opponi potest ipse Aristoteles, qui lib. 1. Phys. cap. 8. t. 68. aperte docet, motus factos in circulo ad partes oppositas esse contrarios, & se mutuo impedire. Et eodem in libro cap. 9. t. 73. asserit; motum factum per semicirculum ab A. in B. non posse continuari cum motu reflexo à B. in A. cum hi motus sibi adversentur, atq; ita se mutuo impediunt. Videtur itaq; Philosophus in Physicis planè esse in contraria opinione, nempe concedere, dari inter motus circulares contrarietatem.

Deinde + hypothese prima rationis, unum nimirum unitantum contrarium esse, opponitur iterum Aristoteles, quando lib. 1. Top. docet: Quot modis unum dicitur contrariorum, tot modis

modis, etiam dici alterum. Et lib. 4. Eth. Nicom. cap. 2. lib. 1. Mag. Moral. cap. 22. & lib. 3. Eudemior. cap. 4. Liberalitati Avaritiā & Prodigalitatē, adeoq; non unum uni, sed duo uni opponit.

Tertio: † Contra secundam rationem, qua Philosophus cō- 7
cludebat infinitos, motus semicirculares oppositos uni, hunc in
modum disputat Iohannes Grammaticus: Quemadmodum inter
duo puncta describi possunt infinita lineae circulares: sic etiam
à centro mundi ad circumferentiam possunt dari infinita lineae
rectae: Quemadmodum itaq; inde non infertur, Motui recto in-
finitus esse contrarios: ita neq; ex illo recte colligi videtur, cir-
culari motui infinitos adversari.

Quarto: † contra illud Philosophi, quo dicebatur; contra- 8
rietatem esse inter terminos maximè distantes; cum Thoma ita
concludimus: Nulli motus ad medium & à medio sunt secun-
dum maximam distantiam: At omnis motus, qui sunt ad me-
dium & à medio, sunt contrarij: Ergo contrarij motus non ne-
cessario sunt secundum maximam distantiam, Major manife-
sta est: In mundo enim major est distantia ab uno polo ad alte-
rum, quàm à centro ad circumferentiam: Illa enim porrigitur
per integram diametrum; haec per semi diametrum. Minor
ex communi omnium Philosophorum sententia vera est. Ex
probatione Majoris ita argumentando progredimur: Nulli
motus à medio & ad medium, sunt secundum maximam di-
stantiam, & tamen sunt contrarij, Omnes motus locales recti
sunt, à medio & ad medium: Ergo nulli motus locales sunt per
maximam distantiam: & tamen sunt contrarij, Et per con-
sequens falsum est, quod dicebatur, motum contrarium fieri per
maximam distantiam.

Quinto: † contra ultimam rationem, qua concludebatur, 9
alterum motū esse supervacaneum cum Ioa. Grammatico ita con-
cludimus; Ut duo illi motus circulares se mutuo impediūt: ita etiā
duo

duo motus recti per eandem lineam se mutuo impediunt: At ex hoc non concedendum est, alterum rectum motum esse supervacaneum: Ergo neq; ex illo recte colligetur, alterum motum circularem esse superfluum.

10 At q; + hac sunt precipua argumenta, quæ contra sententiam Philosophi adferri solent. Sed salva res est. Rationes illæ nihil concludunt. In prima enim fallit æquivocatio vocabuli contrarij: quod laxè sive improprie pro quavis oppositione & repugnantia accipitur in Physicis: in stricta verò & propria significatione lib. 1. de cælo.

11 Ad secundam + dicimus: Locus ex 1. Topicorum nihil probat: sed tantum docet contraria extrema in oppositione æqualiter sese habere: quod potius cõfirmat, quam quod refutet Philosophi hypothesein. Deinde quod duo vitia uni virtuti opponantur, id tantum sit ex accidente: nempe quia unum vitium totam materiam & ejus actum opposita virtutis possidere nequit. Quæ tamen duo vitia ad unum reduci possunt, ita ut adhuc maneat unum uni oppositum: nempe quatenus actus dandi & recipiendi secundum rectam rationem est in liberalitate: Actus verò dandi & recipiendi aberrans à recta ratione in Avaritia & Prodigalitate. Deinde etiam dici potest Axioma illud: Unum uni tantum contrarium esse, verum simpliciter esse de extremè contrarijs, non de medijs. Vnde iterum dicatur, absurdum non esse, quod malum & bono & malo simul opponatur, cum uni opponatur ut extremo, altero ut medio. Tertio distinguendum est inter perfectam contrarietatem & imperfectam. Vni multa opponi imperfectam contrarietatem nihil vetat: Sic extremis coloribus multi intermedij opponuntur.

12 Ad tertiam + quoq; instantiam responsio expedita est. Sit ita, ducantur lineæ infinitæ à centro ad circumferentiam: sunt tamen illæ omnes æquales inter sese, eademq; ubiq; est distantia, & pro-

Et proinde eadem specie contrarietas. Quare minimè inferri
quit, uni motui recto contrariari diversos specie imò infinitos
motus: sed hoc sequitur, singulis motibus, singulos motus esse cō-
trarios, uni unus & infiniti infinitis, observata tamen ubiq; uni-
tate speciei. Hoc autem de infinitis lineis circularibus proinde q;
motibus illis dici nequit. Linea enim illa circulares necessario
sunt dispaes, habent q; majorem vel minorem distantiam ac pro-
inde diversam specie contrarietatem. Rectè igitur colligitur
ex hypothesis quoq; adversarij circulari motui contrarios infini-
tos specie esse diversos.

Ad quartam: † Contrarietas in motu locali duntaxat 13
spectatur penes maximam distantiam, secundum lineam re-
ctam, quæ est semidiameter mundi. Hæc enim est distantia
maxima, per quam potest fieri naturaliter motus rectus, non ea,
quæ inter utrumq; polum extenditur. Ratio hujus hæc dari
potest. Nam motus localis naturaliter fit à loco infimo ad su-
preum, & contra à loco supremo ad infimum. Ergo ratione
motus localis naturalis, maxime distant locus infimus & locus
supremus, nempe ut termini motus extremè oppositi, à quo & ad
quem. Quod itaq; infimum & supremum est in globo quoli-
bet, illud etiam infimum & supremum erit in globo hujus uni-
versi. Iam constat quod infimum in quolibet globo sit centrum:
& supremum superficies. Nam quod est medium in circulo
vel globo illud etiam in eodem est infimum: & si hoc: superfi-
cies supremum erit. Tota enim superficies & qualibet eius pars
in se & infra se continet centrum, & centrum supra se totam su-
perficiem & quamlibet ejus partem aspicit: Ergo & centrum
hujus universi erit infimum in universo, & cælum omnesq; ejus
partes erunt supremum: Et per consequens maxima distantia
ratione motus localis naturalis erit ea, quæ est inter centrum,
hoc est, terram & superficiem, hoc est, cælum.

G

Ad

14 Ad ultimam \dagger ita respondent Connimbricenses: Cum contrarietas in rectis motibus secundum rectam lineam sumatur; rectè autem linea, quæ à centro ad circumferentiam progrediuntur, plurimæ sint numero inter se differentes, fieri posse, ut per diversas illas lineas ac vias citra impedimentum contrarijs illis motibus corpora cieantur: Nec enim ad ejusmodi contrarietatem opus est, ut corpora per eandem lineam sibi invicem occurrant, atq; adeo sese impediunt. At cum circularis motus sit ab eodem ad idem, si unus est alteri contrarius, fieri non potest quin se mutuo impedeant.

QVÆSTIO V.

An plures sint mundi: an unus tantum.

1. Forsan \dagger risu hic à nonnullis excipi possumus, à nobis querentibus: qui rem solis instar perspicuam, hac tandem questione in dubium vocare velimus? Verum illi magis suam oscitantiam & in legendis Physiologorū scriptis insignem sobrietatem produnt, quam quod se viros eo modo ostentent: quasi verò nunquam extitissent, qui plures; quasi nunquam, qui innumerabiles, imo qui infinitos (crassissimum naturæ absurdum) statuerint?

2. De Anaxarcho \dagger refert Plut. lib. de tranq. anim. quod aliquando Alexander Macedo, cum illum de mundorum infinitate differentem audiverit, in lacrymas eruperit: qui amicis, num aliquid lacrymis dignum ei accidisset, rogantibus, respondisse fertur; An indignum est nos flere, si cum infiniti mundi esse perhibeantur, nondum unius domini simus? Diogenes, Leucippus, Democritus & Epicurus mundorum infinitatem adstruebant ex conflictatione & nexu infinitarum partium inse-

ctæ.

Et ilium. Idem assererebant, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarchus, Xenophanes. Metrodorus, referente Plutarcho, absurdum esse, agebat, in magno campo unam nasci spicam & in infinito unum mundum: Esse autem infinitos numero mundos inde constare, quod infinita sint causa. Nam si finitus esset mundus, causa autem infinita ex quibus hic mundus constat, necesse est infinitos esse. Vbi enim omnes causa, ibi necesse est etiam effectus esse. Causa autem sunt vel atomi, vel elementa. Haecenus Plutarchus. Democritus praeter mundorum infinitatem, diversitatem quoque in illis adsererebat maximam: In quibusdam neque solem esse, dicebat, neque Lunam: in alijs splendidiora esse sidera, quam in hoc nostro: quosdam animalibus carere: quosdam plantis destitutos esse, vacuosque omni humore: quosdam his rebus omnibus affatim abundare. Mundorum quoque infinitorum sibi invicem succedentium antiquissima opinioni adherere videtur Leo Hebraeus de Am. dial. 3. Manichaei finitos quidem statuebant mundos, plures tamen uno creabant. Videatur August. lib. 18. de civ. dei. cap. 41. Theod. in lib. de mat. & mund. Philo. Ind. in lib. de Mundi incorr. Plutarch. lib. 1. de Plac. Phil. cap. 5. Cic. lib. 2. acad. 99. & lib. 1. de fin.

Dicimus tamen nos, unum duntaxat esse mundum. Quam sententiam etiam multi ex priscis Philosophis approbant: Thales, Pythagoras, Parmenides, Melissus, Heraclitus, Zeno. Plato in Timaeo ait: Mundus unus solus factus est & non duo, nec infiniti. Et iterum ibidem: Mundos infinitos esse imperiti cujusdam est sententia, qui ea ignorat, quorum peritiam habere oportebat. Assertionem hanc tribus probat Plato rationibus: 1. quod perfectus non esset, si non contineret omnia: 2. quod non similis exemplari, si non unigenitus. 3. quod non in sempiternum duraturus, si quid extra ipsum



constaret: Plutarchus quidem infirmas has rationes esse iudicat: Platoni, inquit, objici potest, mundum esse perfectum, neque omnia tamen complecti. Nam homo quoque perfectus est, neque tamen omnia continet: & multa eius rei exempla suppeditant statua, domus, pictura. Quis autem perfectus sit, extra quem aliquid circumagitari potest? Interitui autem neque non est, neque potest non esse obnoxius, cum sit ortus. Aristoteles plures uno mundos esse absurdum dicit. Rationes eius potissimum haec sunt. I. Quia unum tantum est primum movens: 12. Metaph. c. 8. t. 49. II. Quia unum tantum est primum mobile, unus motus circularis, unus primus motor, cuius motus omnes subordinantur, 8. Phys. c. 5. t. 42. III. Quia ut tria sunt corpora, Elementa, Caelum, Terra & Medium; ita tria sunt loca, eis respondentia: locus medius, qui omnium infimo & gravissimo corpori debetur, nempe Terra; Extremus & summus, qui convenit corpori circulari, id est, caelo; Intermedius, qui corpori levi competit: Ergo non sunt plures mundi uno. Si enim alius mundus esset, contineret in se alia loca suis corporibus recipiendis: quae tamen non dantur, lib. 1. de Cael. cap. 8. t. 91. Averroes in Epit. Metaph. tr. 4. Mundus, inquit, est unus per unum principium: aliter esset unus per accidens: aut oporteret ipsum non esse. Et lib. 1. de Cael. com. 79. Mundi pluralitatem qui censuit, tenuit hic esse sursum & deorsum per naturam & simpliciter; qui haec tenuit destruit motus naturales simplices. Qui igitur plures mundos asserit, aufert motus naturales. Ibid. Mundi plures si essent, non esset superius naturale, neque inferius. Apul. de dog. Plat. lib. 1. Mundus hic unus est, nec relictus est locus, in quo alius, nec elementa super sunt, ex quibus alterius mundi esse possit corpus. Plotinus Enn. 4. lib. 4. c. 32. Mundus totus est animal unum.

unum ratione musicâ saltans, & saltando consequenter unâ secum omnia varians. *Et Enn. 1. lib. 3. c. 1.* Mundus etsi tempore infinitus est, non tamen numero vel magnitudine infinitus est. *D. Athanasius in Orat. contra Idola, Unitatis mundi hanc dat rationem. Nempe ideo opificem naturæ Deum unum duntaxat mundum condidisse, ne de multorum numero multi etiam opifices existimarentur, sed ex uno opere unus quoque illius author crederetur.*

Etsi quidem Physicæ rationes non dantur, quibus manifestè & firmiter unum duntaxat mundum esse, demonstretur: est nihilominus sententia hac consentanea illis, quæ de mundo in sacris literis revelata extant. Lege integram de Creatione historiam, ut eam per Moysen conscripsit spiritus sanctus Genes. 1. & 2. & nihil aliud concludes, quàm hunc mundum & quidem solum ac unicum à Deo creatum esse. Et Ioannes 1. dicitur in singulari numero; Mundus per ipsum factus est: non in plurali; Mundi per ipsum facti sunt. Quo certè ejus unitas non obscurè indicatur. Tandem perpendantur, omnia loca quibus Deus extra se aliquid corporeum & mundanum produxisse, conservasse, operatum esse, &c. dicitur, certè omnes illi effectus esse & existere in hoc mundo liquido apparebit.

Metrodori quod argumentum supra ex Plutarcho allegatum nititur falsa hypothesis. Falsum enim est principia infinita esse. Deinde quæ Democritus de diversorum mundorum diversis naturis adfert, quia omni ratione carent, nec ullo modo ab ipso confirmantur, eadem facilitate à nobis rejiciuntur, quæ ab ipso afferuntur. Prius demonstrandum est Democrito, mundos esse plures vel numero infinitos, tum de discrimine illorum agi posset.

C 3

QUÆ

QVÆSTIO VI.

An lumen ad visionem requiratur tantum
ratione medij: vel tantum ratione
objecti: an verò ratione
utriusque.

1 Interpretes \dagger Aristotelis maxime contraversantur de usu
& necessitate luminis in visione. Avenpace, referente Averroë lib. 2. de an. comm. 67. & Avicenna in 6. nat. part. 3. ca. 1.
statuunt, lumen non esse necessarium propter medium, sed pro-
pter solum colorem, ut faciat colorem esse actu motivum per spicu-
cui, quia non esset actu motivus, nisi esset illuminatus. Hanc
suam adsertionem probabant sequentibus fundamentis. Pri-
mum est Avenpaces: Lumen & color specie non differunt;
Atqui omne recipiens debet carere recepto; Ergo perspicuum debens
recipere colorem, debet carere lumine: igitur moveri perspicu-
um, est illuminari, & illuminari est colorari: itaq; si color sit il-
luminatus, est actu motivus perspicui, & imprimat in eo colo-
rem, quatenus ipsum illuminat. Avenpace igitur (ut annotat
Zabarella lib. 1. de vis. cap. 9.) dictum illud Aristotelis, Color
est motivus perspicui, quod est actu, sic intelligebat, color
est aptus ducere perspicuum de potestate in actum, & reddere
actu perspicuum: Hoc enim facit, cum simul ipsum illuminat
& colorat: quod si prius illuminatus esse aer statuatur, non po-
terit à colore moveri, quum color sit de natura luminis, & ni-
hil recipiat seipsum.

2 Alterum \dagger est Averrois, quod ille pro Avenpace ex ver-
bis Aristotelis lib. 3. cont. 18. colligit. Ibi enim Philosophus
intellectum agentem lumini comparat, addit q; esse necessarium
illum propter phantasmata, ut ea faciat intelligibilia actu, non
sea

secus ac lumen facit colores esse colores actu, hoc est, actu motivo
perspicui Statuit igitur Aristoteles lumen & visionem requiri
propter colores, ut perspicuum moveant.

Tertium † est Avicenna, sumptum ab experientia. Ocu- 3
lus enim, in obscuro loco constitutus, objectum illuminatum per-
cipit: Oculus contra, in medio illuminato existens, objectum in
obscuro loco positum non cernit. Sic stella ex profundissimis
puteis interdum observantur in caelo, ut testatur Galenus lib. 10.
de usu partium.

Quartum † est apud Albertum, lib. 2. de an. cont. 67. & à 4
Zabarella loco allegato ita proponitur: Objectum cuius q. sensus
debet reduci ad communem aliquam naturam, secus enim non
esset objectum unum, proinde nec sensus unus. Patet autem esse
visibile & lumen & colorem; ergo duo haec vel reducuntur ad
unam tertiam communem naturam, vel unum ad alterum: pri-
mum dici non potest, ut manifestum est: Ergo secundum; At-
qui non reducitur lumen ad colorem, quia non definitur lumen
per colorem, sed potius color per lumen: Ergo reducitur color
ad lumen & est visibilis ratione luminis: Sic igitur una est na-
tura visibilis, nempe natura luminis, ad quam reducitur
color: Ergo ad constituendum colorem visibilem est necessa-
rium lumen.

In contraria † opinione est Averroes, nempe statuit lu- 5
men necessarium esse non propter colores, sed propter medium
tantum. Sequitur hunc Ioa. Gandaviensis in 2. de an. & Tho. ibi.
Rationes pro hac opinione adferri possunt subsequentes, 1. Ari-
stoteles lib. 2. de anim. cap. 7. definit lumen per actum per-
spicui, non per actum coloris seu objecti: Lumen igitur neces-
sarium propter solum medium, non propter colorem. 2. Ob-
jectum est per se visibile, in secundo modo dicendi per se: E. non
accidit.

accipit à lumine visibilitatem, sed eam habet ex sua natura: si
verò à lumine fieret visibile, non per se, sed per aliud esset visibi-
le. Antecedens probatur, 1. Autoritate Aristotelis, qui lib. 1. de
caelo cap. 7. tex. 66. inquit: τὸ ὄρατον ὁ λεγόμενος, ἐστὶ χεῖμα; ἔρ-
δ' ἐστὶ τὸ ἴδιον καὶ αὐτὸ ὄρατον; καὶ αὐτὸ ἴδιον, ἔστι λόγος, ἀλλ' ὁ,
τι ἐν εἰσότητι ἐξ τὸ αἴτιον ἔστιν ὄρατον. 2. Inductione reliquo-
rum sensibilium. Sonus enim, odor & cetera sensuum obje-
cta, ut similitudinem sui mittant, alterius causa consortio non
egent: Ergo neq; color. Eandem enim cum reliquis sensibili-
bus efficacitatem habere videtur.

6 Tertia opinio est Alberti, Thoma 1. p. q. 79. art. 3. A-
pollinaris, Connimbricensium lib. 2. de anim. cap. 7. q. 4. art. 2.
st atuentium, lumen necessarium esse propter utrumq; ita nimi-
rum, ut neq; medium à colore moveri possit, nisi id illuminatum,
neq; color medium movere, nisi illuminatus sit. Quia verò
de medio satis clara & perspicua est sententia Philosophi, qui di-
xit, lumen esse actum perspicui: Albertus, referente Zabarella
lib. 1. de vis. c. 10. idem de colore demonstrat hac adhibita distin-
ctione. Color habet duplex esse, unum materiale, alterum
formale: esse materiale (quod vocat Piccol. actum primum, per
quem color absolute est, & in specie constituitur) sit per materia
mutationem à quatuor primis qualitatibus, quæ varios in su-
perficie colores producant, licet ipse qualitates non sint de essen-
tia colorum; & ad tale coloris esse non requiritur lumen: Est
enim color etiam in tenebris, non est tamen aptus ad movendū
medium: Esse autem formale, (quod vocat Piccol. actum secun-
dum, per quē color spiritaliter agit) habet color à lumine, qua-
tenus lumē jungitur superficiei, & facit colorem actu motuum
perspicui, quia sine lumine non moveret. Ex qua distinctione
facile intelligitur, quod & quomodo lumen necessarium sit ad
objectum & colorem, ut perspicuum moveat & actu videatur.

Quan-

Quando igitur Aristoteles lib. 3. de an. text. 18. dicit: colorem esse motivum perspicui, interpretatur illud Albertus de colore secundum esse formale: sic enim, ut constat, est motivus perspicui.

Paulo & aliter id dicunt & explicant Connimbricenses loco allegato. Quemadmodum inter omne Agens & Patiens proportio & aptitudo reciproca, nec non ab agente in patiente certa & peculiaris dispositio, cuius defectu nullo modo actio procedere quit, requiritur: ita etiam ut color in diaphanum agere possit, suosque radios transmittere, & in eo speciem gignere, qua ad oculum perferatur, requiritur certa eius dispositio, qua lux est, sine qua nihil horum fieri poterit. Atque id est, quod lib. 2. de an. cap. 7. t. 73. dicit Philosophus, colorem esse motivum perspicui actu illuminati. Ratione porro objecti, requiri lumen probant hoc modo. Quia lumen concurrat, tanquam causa particularis una cum colore ad emittendam speciem. Quo fit, ut per se etiam ex parte coloris requiratur. Proinde concurrere lumen eo modo, nec tantum ut dispositionem sive medij sive objecti, ea ratione probatum dant. Nullum enim naturale agens postulat formam excellentioris naturae, ut solam dispositionem requisitam, ad ignobilioris formam: Lux vero tam imagine coloris, quam colore ipso praestantior est: Quare non exigitur lux tantummodo ut dispositio, ad traiciendas colorum imagines in oculum; sed ut causa partiatim eas proferens simul cum colore objecto. Item colores, quo magis illuminantur, eo melius videntur: igitur ex participatione luminis fiunt actu visibiles. Picc. hanc addit rationem; coloratum cum ex se sit materialium, virtute luminis spiritualis, spiritualiter agit, quod ei non competeret, nisi illustraretur.

Quarta & opinio est Zabari, lib. 1. de vis. cap. 11. & Picc. lib. de vis. c. 14. qui tertiam superaddunt necessitatem, quando docent, quod non tantum objecto & medio, sed etiam organo lu-

D

men

men inserviat. Assertio hac plana est, nec (ut videtur) ab Alberto negata. Perspicua enim sunt verba Aristotelis, quando lib. de sens. & sensib. cap. 2. ait: Aspectus æquè lumen in-
tus & extra exposcit, ut cernere valeat. Affirmat idem Scotus, in secundo sententiar. distinct. 13. Et Simplicius in secundo de an. 74. & 75. testatur, Lumen esse necessarium & pro objecto & pro vidente.

9 Quæritur † porro & quidem potissimum hoc loco quæritur, quale illud lumen sit, quod requiritur ad organum collustrandum: an internum: an externum. Scal. exe. 298. sect. 16. cū Avenroë in Paraphrasi de sensu & sensibili statuit, lumen in oculo esse proprium, id est quasi portitorem quendam esse, qui speciem trajciat ab extimo lumine ad intimum animæ. Huic sequi videtur Piccol. loco allegato: At dum dicimus, inquit, lumen requiri pro instrumento videndi, id lumen non debet esse externum, nam obest, sed internum ex spiritibus prodiens: & propterea rectius dicitur lux & oculus lucens, quàm illuminatus, &c. Propter hanc internam lucem Plato, Pythagoras & Galenus in decimo de usu partium, oculum dixere solarem & igneum.

10 Zabarella † verò est in contraria sententia, quam & nos probamus, nempe requiri etiam lumen externum ad organum. Zabarella ita se explicat: Organum. ob eandem rationem debet esse illuminatum, ob quam & medium; Nā si medium colores recipit (ut Arist. dixit) non quatenus aer, nec quatenus aqua, sed quatenus perspicuum, non est autem actu perspicuum, nisi per lumen; oculus verò, ut colores recipere posset, debuit esse perspicuus, ut docet Arist. in libro de sensu & sensilibus ca. 2. necessarium est, non minus oculo lumē, quàm medio, proinde oculus non recipit colorem, nisi recipiat lumen. Et mox: Oculus debuit esse perspicuus perspicuitate

tate aquea, ut lumen recipere ac retinere, imo & intensius reddere posset.

Probat^rur + sententia hac potissimum duplici argumento. 1^o
1. Sumitur à natura humoris crystallini, qui perspicuus est propter externum lumen receptum. Pro declaratione huius rationis tenendū: Etsi aliqui sunt oculi, qui in tenebris ex se aliquide mittunt luminis, ut oculi leonum, & pardorum & catorum: Omnium tamen oculorū communis conditio est, ut eatenus lucidi sint, quatenus ob externi luminis receptionem fiunt splendidi. Additur ratio: Hoc enim est proprium illorum perspicuorum, qua aliquam habent densitatem & consistentiam, qua retinent receptum lumen, & ex eius constipatione redduntur lucida tanquam alieno lumine. Quia igitur eiusmodi perspicuum est oculus sive humor crystallinus (est enim perspicuus perspicuitate aquea) negari non potest, datam esse organo perspicuitatem, ut per receptionem luminis possit recipere aliarum rerum colores. Ita igitur argumentamur ex sententia Zabarella: Omne perspicuum à lumine fit actu perspicuum: At humor crystallinus oculi est perspicuus: Ergo fit actu perspicuus à lumine. Major est manifesta per definitionem luminis: Lumen enim est actus perspicui, quatenus perspicuum est: item à conditione coloris: qui est motivus perspicui, quod actu, hoc est, illuminatum est. Minor quoq; constat per naturam humoris crystallini, quem omnes perspicuum esse, & quidem perspicuitate aquea, qua habet (ut diximus) aliquam densitatem & consistentiam, omnes Philosophi recte sentientes fatentur, & res ipsa loquitur.

2. Sumitur + ab usu specillorum; quippe qua faciunt ad cōgregationem luminis in oculo recepti. At q; hoc verum esse, ita probat Zabarella. Non enim, inquit, alia ratione faciunt, ut melius videamus, nisi quia faciunt, ut plus luminis recipiant oculi, & ita melius etiam recipiant colores. Oculi enim seu propter provectam aetatem, seu etiam quandoq; propter naturalē temperiem habent substantiam terrestriorem; siccescunt enim oculi senum, ut ait Aristoteles lib. 5. de Ortu animal. c. 1. quò fit, ut

minus recipiant luminis, & ob id egeant auxilio spec-
cillorum, in quibus ob vitri cavitatem unitur, & con-
centratum lumen tanquam in puncto, & ita unitū, ac
validum oculos penetrat & lucidiores reddit, aptosq;
ad melius colores recipiendos.

13 Quod \dagger attinet Scaligeri opinionem; respondemus, neq;
nos neq; Zaberallam $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$ negare omne lumen oculis, verum
potius illud in omnibus ad visionem sufficere, & in nonnullis ad
perfectam visionem, inficiari. Deinde quod addit Piccolomi-
neus lumen externum obesse; simpliciter, quoq; verum non est,
sed tantum de illo, quod nimium, verè dicitur: quemadmodum
illud ipse testatur Piccolomineus, quando inquit: Nec lux o-
culi debet esse nimia, sed moderata: Oculi enim ni-
mium fulgentes diminutius vident. Nam licet quidem
ille de luce, sive lumine interno loquatur, nos tamen idem de lu-
mine externo commodè interpretari possumus, quia eadem u-
trobique est ratio.

14 Objectum \dagger porro omninò illuminari debet, ut actu conspi-
ciatur. Quamvis enim totus aer, qui videntem circumstat, sit
illuminatus, si tamen ille, qui circa colorem est, non sit illustra-
tus, color non videtur. Lumen enim est actus coloris, non qui-
dem ut sit, sed ut videatur, ut ait Scaliger exerc. 7 s. sect. 7. Ad
medium etiam lumen requiritur; non tamen necessario univer-
sum spacium, quod est inter visibile & oculum debet illumina-
ri; sed ea duntaxat pars, quæ est conjuncta rei visibili: ut ita
lumen non videatur necessarium medio, quatenus tale, sed po-
tius ratione objecti visibilis.

15 Restat \dagger nunc ut respondeamus ad argumenta tum pro A-
venpace & Avicenna, tum pro Averroë adducta. Primum
igitur Avenpace argumentum quod spectat, respondet Aver-
roëriti illud falsa hypotbesi. Falsum enim esse, ait, Lumen &
colorem specie non differre. Idq; probat 1. ab experientia. Ex-
peri-

perimur enim in transitu nubium parietes & similia objecta
depingi colore herbarum, quod certe non contingeret, nisi prius
aeri color ille induceretur: Si verò aer jam ante colore luminis
contactus esset, quomodo alium colorem sumere posset? Sic Solis
lumen per vitrum colore tinctum transiens expingit objectum
parietem vel mensam: prius igitur in aere illuminato color sit
oportet, ita quidem ut lumen sit ratio recipiendi: consisteret e-
nim aer sine colore; si non illuminaretur. Si itaq; plane idem
essent color & lumen, sequeretur aliquid recipere, vel esse ratio-
nem recipiendi seipsum: Quod absurdum. 2. Probat idem A-
verroes à definitione. Quae diversis definitionibus circumscri-
buntur, idem specie non sunt: Ast lumen & color diversas ha-
bent definitiones: Ergo non sunt idem specie & essentia. Minor
patet: Color enim est extremitas perspicui terminati: Lumen
verò est actus perspicui interminati. Ergo &c. Quia igitur fal-
sum est, idem esse specie colorem & lumen: Falsum utiq; erit,
quod inde colligebat Avenpace, aerem recepturum colorem de-
bere carere lumine. Neq; recte interpretatus est Aristotelem.
Non enim dixit Philosophus colorem ducere perspicuum de po-
testate in actum, & facere actum perspicuum, sed dixit esse moti-
vum perspicui, quod jam sit actu: Est igitur prius actu perspi-
cuum per lumen, posterius verò vel tempore vel saltem natura
est mobile vel movetur à colore. Addamus & hoc ex sententia
Piccolominei, lumen non esse id, quod movetur & recipit; sed
esse id, quod una cum colore & ejus imitatione agit in medium
& oculos videntium; fungitur enim munere illustrantis, for-
mantis, patefacientis & moventis, non recipientis.

Ad alterum ꝑ argumentum ab Averroë pro Avenpace 16
propositum (neglecta responsione Averrois, qua falsa & nulla
est, ideoq; merito à Zabara lib. 1. de vis. cap. 12. rejicitur) dici-
mus, eo nihil aliud probari, quàm colorem non posse movere per.

spicuum, nisi sit illuminatus: quod quia verum est, & asseritur
à Philosopho lib. 3, de an. tex. 18, libenter concedimus.

17 Ad Tertium, & quod est Avicenna, tantum probat, lumen
necessarium esse propter colorem: quod ultro largimur: non ve-
rò negat id, quod pro sententia Avenpates negare debebat, nem-
pe, ipsum non requiri propter medium. Nam (ut eruditè rem
explicat & probat Zabarella) hac est luminis natura, ut rece-
ptum in superficie corporis terminati subeat quodammodo con-
ditiones lucis & illuminet perspicuum medium. Quando igitur
color est illuminatus, videtur ab aliquo existente in spelun-
ca tenebrosa, quia lumen illud colori adjunctum illuminat totum
illum aerem ad ipsos usque oculos videntis. Quamquam enim non
ita illuminat, ut faciat aliorum colores videri, tamen tantum
illuminat, quantum satis est ad visionem illius coloris, cui jun-
ctum est. Ita etiam illa quæ nocturno videntur tempore &
in tenebris, interdum verò & illuminata non apparent, ut sunt
piscium squamæ, ligna putrida, oculi cancrorum, leonum, &c. de
quibus agit Philosophus lib. 2, de an. tex. 72. ideo videntur:
Corpora enim ista, quia tenui luce sunt prædita, medium, quan-
tum satis est, illustrare possunt. Eruditè quoque hæc explican-
tur apud Cælium Rodiginum lib. 15. antiq. lect. cap. 5. Sofige-
nes Alexandri præceptor tertio volumine de visu, ra-
tionem afferre conatus est, quamobrem aliqua colu-
cere in tenebris videantur. Flammulenta, inquit, quæ
quadamtenus naturam ætheris & quinti elementi
participant, ea cognatione fieri, ut ad motum sibi ae-
rem, aut perspicuum aliud corpus illuminent. Quod
autem id maximè noctibus faciunt, rationem esse, quia
tum majus lumen absit. Alioqui evenire interdum, ut
exiguum eorum lumen quasi exolescat, & offundatur
in magno. Noctu ergo cum fulgent, aerem proximum
& circumfusum leviter sublustrant: non ita, ut alia ite
pos

possent videri; sed ut sola se vendicent à tenebris. Atque hoc facit exilitas portiois ejus, è qua proficiscitur manatque lumen, &c.

Ad quartum † argumentum ab Alberto propositum re-18
spondemus, Objectum uno modo sumptum esse & manere unum etiam absq; illa reductione. Lumen enim est objectum ut quo; color vero objectum ut quod; atq; ita sunt subordinata, & subordinatè unum.

Ad sententiam † & argumenta Averrois respondemus, 19
& quidem ad primum distinguendo inter actum primum sive materiale coloris, & actum secundum sive formale. Lumen non est actus primus, sive materiale, hoc est, ipsa res coloris, hoc est, non facit ut actu sit color in subjecto, sed tantum sua presentia facit ut actu existentem colorem, actu videamus: è contrario vero lumen ipse est actus perspicui, quatenus perspicuum est; perspicuum enim actu perspicuum illuminatum non est, nisi id sit per lumen: quocirca rectè definitur actus perspicui & non coloris: quia illi dat ipsam esse, huic vero non, sed tantum facit, uti diximus, ut actu videatur. Ad alterum respondemus, distinguendo inter visibile esse per se, & actu videri. Visibilis quidem ex sua natura, & per se est omnis color, veruntamen illa potentia non producitur in actum nisi alio actu superveniente, hoc est, lumine; non aliter atq; de luna dici solet, quod per se sit obscurabilis, vel obscurari possit; nihilominus tamen ut potentia ita in actum producat, & luna actu obscuretur, requiritur alia externa causa, nempe ut terra diametraliter ponatur inter solem & lunam. Ut itaque eclipsis per se predicatur de Luna, & tamen externa causa ad ejus actum requiritur; ita etiam visibilitas per se de colore predicari potest, non obstante illo, quod externa causa, nempe lumen, ad ejus actum necessaria sit. Quod attinet illud, quod dicebatur reliquorum sensuum objecta, ut
simi-

similitudinem sui mittant ad sensum, alterius causa consortio non egere. Ergo neque colores; Nulla est consequentia. Est enim longè alia ratio specierum visibilium atque aliorum objectorum. Illa enim longe subtiliorem & immaterialiorem habent naturam, quam reliquæ: quo circa etiam ita, ut reliquæ magis materiales esse, abstrahi & subsistere non possunt, sine externa alicujus cause adiumento.

2^o Tandem & rationes tertiæ opinionis, ostendentes lumen requiri pro objecto & medio simul, nobis non adversantur, cum utrumque concedamus. Satis igitur de hac questione.

QVÆSTIO VII.

Quæ hujus mundi partes earumque ordo, situs, motus & quantitas.

1 Dividitur & universalis mundi machina in Ætheream & Elementarem regionem, Ætherea; cælum, stellas: Elementaris Terram, Aquam, Aerem, ignem & ex his composita includit. Aqua enim Terram: Aer, aquam. Ignis aerem ambit: Ignis tandem in concavo Luna subsistit. Sed non ibi videtur ignis, & caret nutrimento? Sic est. Vtrumque ita definiuit natura: hoc, quia purus: illud, quia subtilis.

2 Luna & igitur ignem claudit; Lunam, Mercurius; Mercurium, Venus; hanc Sol; Solem Mars; hunc Iupiter; Iovem Saturnus, hunc Sphæra stellarum fixarum, quæ omnes in eodem esse orbe probatur; Uniformem enim motum habent. Omnia tandem ista corpora ætherea viginti quatuor horarum spacio, quod diem naturalem constituit, primi mobilis raptus secum rapit.

3 Ordinem & quod attinet Planetarum, ut jam propositus est, nullo instrumento, ne dum oculis notari poterit, sed mirabilis in-

industria certissima q̄, ratione partim ex paralaxibus, partim ex motu proprio, partim ex Syzygijs, partim ex umbris fuit investigandus. Quandoquidem, quo maiorem habet aspectus paralaxin stella (verbi causa Luna) eo terra est propinquior; quo verò minorem eo remotior, verbi gratia Venus. Ex hoc fundamento anno Christi millesimo quingentesimo 72, nova stella, & anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto maximi Cometa locum intra caelos posuere astronomi. Proinde quo planeta aliquis est altior, ut Sol, eo minorem spargit umbram, quam aliquis humilior, ut Luna, si instituaturs observatio diverso quidem tempore, ita tamen, ut gradibus aequalibus super terram uterq̄, elevetur ipso observationis tempore, & stylus semper sit aequalis, id est, aequè longus. Tertio omnem quoque stellam, qua motu proprio citius absolvit unam periodum in Zodiaco, ut sol; quam alia, ut Martis stella, humilior orbem occupare, ratio dicitur: Vnde firmiter colligitur, Martem esse supra Solem, Iovem supra Martem, Saturnum supra Iovē. Tandem, quicumq̄, Planeta in conjunctione occultat alterum, is etiam sub altero subsistit: Luna itaq̄, sub Sole; quippe hunc illa eclipsat. Sic Martem quoq̄, a Luna occultatum observavit Aristoteles. Et in conjunctione Mercurij & Solis, sub sole nigram maculam, vel potius nigricans corpus conspexit Averroes, & Mercurium simili plane modo sub Venere vidit Proclus. Quis hinc non colliget, Orbem octavum esse amplissimum, orbem Martis ampliore quam Solis, Mercurij quam Luna, Luna quam Ignis, Ignis quam Aeris, Aeris quam aqua & terra.

Quia t̄ verò corpora haec, sibi ita subordinata, unum constituunt globum, Terra omnium infima est & media. Nam omne medium in Sphaera vel globo est infimum: & omne infimum est medium. Proinde omne medium est centrum, & omne centrum quiescit: Ergo & terra centrum est, atq̄, propterea quiescit.

Quiescente t̄ igitur terra, movetur caelum, moventur stella
ab ortu versus meridiem, hinc ad occasum. Diversis illis in locis, ean-

E

dem

dem quantitatem observamus siderum, easdem etiam altitudines, quando tot gradibus duarum stellarum altitudines meridiana differunt, quot gradibus inter se in alijs cœli locis quibuscumq; distant. Atq; hæc certitudo horologiorum solarium, figuram cœli imitantium, gignit certitudinem. Est etiam admiranda huius motus constantia. Nam licet astra varias habeant periodos: certissimis tamen intervallis eas finiunt, finitas continuo sine intermissione ulla aut fatigatione, ac si rationales essent creatura, repetunt. Hinc intelligitur, cur Aristoteles & alij illis Noas sive dæmones sive intelligentias attribuant. Est tandem motus huius celeritas stupenda: siquidem Luna juxta Mathematicorum numerationes in uno hora momento percurrit miliaria germanica centum viginti quatuor: Sol quater mille quingenta quadraginta quatuor. Stella aliqua fixa ferme duplum.

6 Elementaria & corpora hisce subjecta, etiam mobilia sunt: Ignis, Aer, Aqua: Terram enim immotam diximus. Ignis quoq; Elementaris, ut & Aeris motus (præter naturalem & proprium motum, quo sursum tendunt) corpora cœlestia imitantur. Primi enim mobilis raptu una circumferuntur: Atq; hinc ex parte causa sumitur, cur scintillas expuere videantur stellæ. In Aqua quodammodo alia est ratio. Nam motus fluminum rectus est, & mare pro Luna orientis & occidentis agitatione variè defluit & refluit: nihilominus impulsione levi, nec non primi mobilis agitatione ab ortu in occasum obscure fertur Oceanus. Quod optimè observant Nautæ Americam occidentalem petentes, qui iter suum triginta dierum spacio absolvunt: Verùm vix tribus mensibus Hispaniam repetentes. Lusitani idem experiuntur versus Indiam orientalem & Hollandi versus Hispaniam navigantes.

7 De quantitate & corporum paucis. Est initio ea Aqua & Terra equalis. Maxima enim Maris altitudo nusquam dimidium miliarie germanicum excedit. Deinde quia terra incerta justaq; pro-

por -

portione rotunda est, neq; tumida promiscuè, juxta firmissimas ve-
 rò Archimedis demonstrationes omnes circumferentia ad diame-
 trum suum proportio est tripla sesquiseptima, qualis est 22. ad 7.
 itidem ex aurea regula operatione summa totius Terra profundi-
 tas investigatur. Porro quod Sol sit major Luna, quodq; Terra lu-
 nam excedat, adeo manifestum est, quam quod manifestissimum.
 Quia verò corpus ex loco propinquiore visum, apparet majus; ex
 minore, minus: Stella autem in octavo altissimo orbe satis magnam
 ostendant claritatem, manifestum est, eas Sole quidem minores, Ter-
 rà verò longè majores existere. De superioribus tribus Planetis
 idem judicium. Mercurius verò & Venus quia humiles juxta ac
 parva sunt stella, minores Terrà statuuntur. Vnde verò Astro-
 nomi demonstrationem quantitatis cujuslibet stella, quoties ea su-
 peret Terram, vel hac minor sit, desumant, non est hujus loci propo-
 nere.

QUÆSTIO VIII.

An ancilla sint virgines.

περὶ ἀδοξοῦ † Quid nisi libet illud exercitij causa examinare. 12

Cum autem

Errorum genitrix sit æquivocatio semper;
 in initio vocis hujus (virgo) ambiguitas tollenda est. 1. Sumitur in
 impropria & latissima significatione, idq; tripliciter: Primum
 Metaphoricè virginem dixerunt veteres omne incorruptum & in-
 tactum. Sic Cicero de clar. Orat. Domi teneamus eloquentiã
 septã liberali custodiã & c. tueamurq; ut adultam virginẽ
 castè. Et in Orat. Mollis est. n. oratio Philosophorũ, & um-
 bratilis, nec sententijs, nec verbis instructa popularib9, nec
 vincita numeris, sed soluta liberius, nihil iratũ habet, nihil
 invidũ; nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutũ, casta, vere-
 cũda, virgo incorrupta quodãmodo, itaq; sermo potius,
 quã oratio dicitur. 2. nomen cõmunis generis est, tam marẽ quã

E 2

fœmi.



fœminam significans, rei venereæ expertem. Sic rapere ad virum virginem, legimus apud Catull. in Epith. Juliae. Et bruta quoq; animalia, quæ marem nondum admisserunt, virgines dicuntur. Plin. lib. 28. cap. 9. Tertio Servio virgo dicitur à viridiorè atate. Quomodo pro muliere, quæ adhuc est in viridi atate & vigore etiam post liberos susceptos accipitur apud Virgilium Ecl. 6. quando de Pasiphaë matre trium filiorum dicit:

Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras.

Per derivationem hanc sumitur etiam pro forti Mart. lib. 7.

Sed curris nitidas tantùm prope virginis undas.

2. Propriè & strictè accipitur pro puellâ grandi intactâ, & virum nondum expertâ, auctore Cicerone. Quintilianus lib. 6. cap. 4. ait Cicero objurgantibus quod sexagenarius Papiliam virginem duxisset; cras mulier, inquit, erit. In hac igitur significatione vocabulo virginis sumpto, queritur: An ancillæ sint virgines.

2. Ob malitiam † & proterviam, quâ plerunq; multum faciunt negotij patribus & matribus familias, non digna videntur ancilla, quarum causâ vel unicum proferatur verbum. Quot circa non tam ancillarum, quàm veritatis patrocinium hic suscipimus. Ancillas igitur virgines esse, arguit ipsa descriptio; Quæ puella grandis nondum passa est virum, illa est virgo: At qui quadam ancilla est talis puella: Ergo quadam ancilla est virgo.

2. Idem probat ejus oppositum: Quæ fœmella esse potest mulier, eadem quoq; esse potest virgo. At ancilla potest esse mulier, quod nemo negabit: Ergo & virgo. Major constat: quia virginitas & muliebritas (in defectu vocabulorum, hoc termino ita utimur) sunt contraria immediata, vel privative opposita, quæ in eodem subjecto susceptivo semper, sed successive insunt. 3. Confirmatur idem significatione vocis: De qua puella dici potest græcum παρθένη, de eadem etiam rectè dicitur latinum virgo: At de ancillis dicitur Græcum παρθένη: Ergo & latinum virgo. Virgo: Nam quod

quod latinis est virgo; id græcis παρθεύς. Consulantur omnia le-
xica Græca & Latina. 4. A conjugatis: Cui revera inest virgi-
nitas: illa revera virgo est: At nonnullis ancillis revera inest vir-
ginitas: Ergo quadam ancilla revera sunt virgines. Ma-
jor probatur. Nam virginitas, teste Augustino, ea proprie dicitur,
qua per puram continentiam ab omni concubitu immunis est. Et
Thom. 2. 2. q. 152, ait: Virginitas dicitur à viro, qui importat im-
munitatem à concupiscentiæ adustione circa delectationes vene-
reas. Quæ omnia tam de ancillis, quam alijs fœmellis dici possunt. 5.
Quæ fœmella de virginari possunt, illa sunt virgines: At ancilla
de virginari possunt: Ergo &c. 6. Quæ fœmella vivunt extra cō-
jugium, & habent carnem integram, illa sunt virgines: At multi
ancilla vivunt extra conjugium & carnem habent integram: Er-
go sunt virgines. Major probatur auctoritate Augustini in Psal-
mum, 29. Quid prodest integra caro, mente corrupta? Me-
lius est humile conjugium, quam superba virginitas. 7.
Virago & virgo sunt synonyma: Nam qua communi linguâ di-
citur virgo, ea poëtis dicitur virago: At quadam ancilla est vira-
go: Ergo &c. Minor probatur auctoritate Plauti, qui in Mercita
loquitur: Rectè ego emero matri tuæ ancillam viraginem
aliquam, non malam &c. Et Terentius Pamphilam ancillam
virginem vocat. Eunuch. act. 2. scen. 3.

Inquis: † Distinguendum esse inter virginem naturalem & 3
civilem: quemadmodum distinguitur inter personam naturalem
& civilem: Vi itaq; non negatur servum, naturaliter personam
esse, licet negetur eum personam civilem sustinere: ita etiam non
negatur ancillas naturali ratione, ex qua disputant proposi-
ta argumenta, virgines esse: licet negetur eas virgines civiles
esse. Collatio hæc, inter personam & virginem instituta, nulla
est. Servos personas civiles vel etiam politicas non esse nititur suo
certo fundamento & ratione. Nam persona civilis est, qua ha-
bet caput civile: Habere caput civile est, habere plenam liberta-



gem: Libertas est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet,
nisi quid vi aut iure prohibetur. l. 4. ff. de stat. hom. Iam servus
sive mancipium non habet caput civile, quia non habet libertatem,
atque id propterea, quia caret facultate eius, quod sibi facere licet.
En lex hac optime quadrat cum recta ratione & fundamentis po-
liticis, ex quibus omnes leges civiles pendunt. Aristoteles enim
lib. 1. polit. cap. 4. docet τὰν ὀργάνων, τὰ μὲν ἀψυχα, τὰ δ' ἐμψυχα
instrumentorum alia esse inanimata, alia animata: & inter ani-
mata instrumenta numerat servos. Quemadmodum igitur omne
instrumentum, quod tale, nullam in se habet virtutem agendi vel
operandi, nisi quatenus dependet à causa principali, cuius instru-
mentum est: Ita etiam servus in se nullam habet facultatem civili-
ter agendi & operandi, nisi quatenus dependet à suo domino, tana-
quam à suo capite: quocirca servus civilem personam sustinere ne-
quit. Nam persona est substantia individua incommunicabilis,
prædita facultate cum ratione agendi. Hac igitur facultas ubi
negatur, negatur utique persona. Quocirca rectè dici potest, quod qui-
dè servus ratione naturali sit persona: non verò ratione civili. Quem-
admodum idem demonstrari potest de iis, qui naturaliter quidem
vivunt, civiliter verò sunt mortui. Iam demonstrandum est
ex legibus civilibus, vel rationibus ex legibus deductis, ancillam
ita negari posse puellam, civiliter, quemadmodum servus civilis
persona negatur. At hoc aduèrsum est. Nam quod nullum respectum
politicum vel civilem habet, sed tantum distinctionem naturalem
ætatis, sexus & sexus qualitatis, id de ancilla politicè vel civili-
ter negari nequit: Atqui virgo nullum habere potest respectum
politicum vel civilem: Sed tantum ita ætatis & sexus, eiusque qua-
litatis ratione ita ut sit integra & illibata, dicitur famella: Er-
go &c.

4 Adde + quod ipsæmet Leges civiles ancillas virgines esse
civiliter testentur. Ulpianus l. alioquin. ff. de contrah.
empt. Quod si ego me virginem emere putarem, quum
esset

esset mulier, emptio non valebit. Scio, quid hic obijci possit: Loqui nempe Vlpianum de virgine, quae se venundari passa est. Re-
plicamus, id ex verbis positus firmiter non demonstrari. Deinde
si omnino de eiusmodi virgine loqueretur Lex, maneret nihilominus
nostra sententia probata. Hic enim ejus verus intellectus est. Si
emeris foemellam, quam virginem esse putabas, illa autem post emp-
tionem, siue postquam per emptionem ancilla tua facta est, virgo
non deprehensa fuerit, emptionem poteris retractare. Ergo ancil-
lam dicit virginem tum, quando ancilla actu est. Perro: Mona-
chi civiliter si non sunt servi, illis tamen non sunt absimiles: Cum
pro mortuis habeantur. c. placuit. c. sunt nonnulli. 16. q. 1. arg.
l. quod attinet ff. de R. L. Ergo & Nonna sunt serva siue ancil-
la: vel illis absimiles. Atqui haec sunt virgines, vel omni-
no pro virginibus habentur. Ergo & c. Obijciunt nonnulli l. 15.
§. 15. ff. de injur. Si quis virgines appellasset, si tamen ancil-
lari veste vestitas, minus peccare videtur: Ajunt virginem
hic opponi ancilla. Sed quomodo? Synecdochica locutio est: qua ge-
nus vocat *ἑξοχὴν* sumitur pro specie, nempe virgo, pro virgine libera.
Mancipia enim, quia civiles personae non erant, omnia illa, quae
naturaliter cum liberis personis habebunt communia, & honesta-
tem quandam laudemve praeseferant, in liberis magis conspi-
ciebantur laudabantur, & denominabantur, quam in servis.
Quia igitur tale quid est virginitas in feminis, haec vocat *ἑξοχὴν*
liberis personis tribuebatur, non interim negata de ancillis:
Non aliter atque etiamnum nos Germani illo termino *Jungfrau*;
uti solemus. Quando enim ancilla confertur cum filiafamilias,
vel quae loco filiae in quadam familia est; tum haec sola, illa vero
minime virgo siue *Jungfrau* dicitur. Cum nihilominus an-
cilla aequae virgines, sint & tales extra hunc respectum dicuntur etiam
in actibus publicis Politicis & Ecclesiasticis. Ut quarere solent stu-
diosi nostri quot habuerit sponsa virgines, quae ipsa ad aras comitata
fuerint

fuerint; & quidem ita querunt etiam tum, quando maxima pars, vel etiam omnes fuerint ancillæ. Hanc legis hujus interpretationem veram esse, demonstrant subsequentiâ ejusdem §. verba, ubi in eadem Synecdochica locutione pergit Ulpianus, & ait: Multominus si meretricia veste foeminae, non Matrum familiarum vestitæ fuissent. Vbi etiam vox Foemina, qua alias generalis est, & tantum sexum distinguit (opponitur enim Mari) ideoq; de virginibus simul & mulieribus dicitur, item tam de servis quam liberis usurpatur, tantum mulieribus liberis hic nat' excludi tribuitur. Conclusum igitur esto, Ancillas & jure naturali & jure civili virgines esse. Plaudite ancilla.

QUÆSTIO IX.

An spectacula, Chorea & ludi in civitate ferendi.

1. Sunt, † qui nescio cujus Catonis moroso vultu induti, quæve religione nova imbuti, isthac simpliciter improbant, & quidem hoc potissimum argumentorum pretextu. 1. Quia ludi, chorea, & spectacula res minimè utiles dicuntur à Philosopho. 2. Bonos mores corrumpunt, opes exhauriunt, animos civium à rebus necessarijs ad nugas alliciunt. 3. Monstri instar est, viros muliebri veste histrionicè dissimulare fœminas, sive honestas, sive scorta: cum abeminatione dicatur coram Domino, si vir fœmineo utatur vestimento & cõtra. Insuper in primitiva Ecclesia Patres hac ipsa prohibuerunt, definientes, nihil aliud esse, quàm à mensis ad ludos surgere. 4. Alia sexcenta meliora recreandi habere possumus media, ut hymnos canere, fabulas morales legere, & cum Divo Ambrosio aviculas cantatrices alere, &c.

2. Statuimus † verò nos, quicquid etiam allatis illis rationibus concludatur, quibusdam adhibitis limitationibus & circumstantijs hac tolerari & permitti in Repub. benè constituta posse imò debere, non

non quidem quod per se & sua virtute res utiles & necessaria: sed quod in moderato illorum usu splendor comitatus, quae & ipsa virtus est, manifeste apparet.

Distinguiamus igitur primum inter ludos: nempe inter in-
anes & histrionicas fabulas, Veneris quoque illecebras; & inter Comoe-
dias facetas, Tragedias quoque magnificas. Illas in republica ferendas
non esse ultro largimur: has vero concedendas quis negaret? quippe
in quibus expressa vita morumque imago cernitur. Quid vero ho-
mines magis à virtutibus absterret, quam si viciorum deformitatem in
personis representari & depingi viderint? Hinc Romani filios à vi-
tio dehortaturi, servum eodem vitio commaculatum producebant.
Quid multis? Ejusmodi exercitia memoriam, rerum omnium
thesaurum, excolunt & confirmant, linguam expeditam reddunt,
hesitationem tollunt, externos corporis gestus & mores informant,
mentem ad virtutis studium inflammant, honestamque animi reso-
cillationem & recreationem afferunt.

Choreas igitur quod attinet, liquet ex historiis variis artem sal-
tandi in honore & precio fuisse antiquitus, Aristonicum Carystium,
Alexandri sphaeristem ob artis hujus excellentiam civitate dona-
runt Athenenses, statua quoque erecta. Coel. Rod. ant. lect. lib. 4.
cap. 8. Sic celebres fuerunt saltatores apud Cratinum & Calliam,
BOLBUS: apud Ctesiam ZENO Cretensis, Artaxerxi regi gra-
tissimus, Alexander in ea epistola, quam misit ad Philoxenum, me-
minit de Theodoro & Chrysippo saltatoribus. Athen. lib. 1, cap.
16. Apud Antiochum regem, qui Magnus dicebatur, non amici so-
lum Regis in armis tripudiabant in Coenis, sed ipse etiam Rex, De-
metrius Scepius l. 12 Troici ornatus. C. Caligula Imp. salta-
tores urbe à Tiberio exactos non tantum revocavit, sed ipse etiam
plurimum saltavit Dion in eius vita. Merionem Cretensem,
Homerus honestare volens, ἰοχνηλὴν saltatorem nuncupavit. Epa-
minondas dux Thebanus bellicosissimus, probe saltasse & cantasse
saepè dicitur: existimans nimirum saltatione homines agiliores
F fieri,

feri, ut si aliquando serio pugnandum esset, eo promptiores forent.
Alex. lib. 2. cap. 25. Pene eandem ob causam sicut equitare, ita tri-
pudiare Persae discunt, nempe cum motum hujus actionis non pa-
rum ad roboris concinnam exercitationem conferre arbitrentur.
Athen. lib. 10. cap. 1. Et Socrates scite tripudiantes maxime esse
idoneos rebus bellicis scriptum reliquit in Poëmatibus, ubi ita inquit:

Qui rectè scivère choris decorare deos, hi
Optimi & in bello.

Hinc & ipse Socrates Saltationis Memphidis dicta studiosus fuit,
& saepius saltare est deprehensus, ut Xenophon testatur: & suis et-
iam familiaribus dicere consueverat, omnium membrorum exer-
citationem esse hanc saltationem. Athen. lib. 1. cap. 10. Imo veri-
tus non est, jam natu grandior saltationem inter serias habere di-
sciplinas. Lucianus de saltatione ex Pythio. Sic apud Lacedae-
mone, qui inter Gracos diu habiti sunt praestantissimi, saltandi stu-
diū non erat incelebre. Videatur Coelius antiq. lect. lib. 5. c. 3.
& Lucian. loco all. Romani eo tempore, quod alioqui fuit opti-
mis moribus inter duo bella Punica, saltationi ita studebant, ut &
ingenui pueri & Senatorum filij in ludum saltatorium commea-
rent, & illic crotala gestantes saltare discerent. Ipse etiam ma-
trone & nobilium filia saltationi operam dabant. Videatur Ma-
crob. lib. 3. cap. 14. Saturn. Quid multis? Ipse Rex sapiens
monet esse tempus saltandi. Neq; fidem, neq; charitatem Christiani
hominis saltando deperduntur: etiam pueros sine ulla reprehensio-
ne aut castitatis periculo saltare, inquit Lutherus in Postil. Eccles.
2. post Epiph. Priscos etiam Hebraeos in templum apportantes
munera, cum prope altare accederent, saltavisse constat, ut David
Kimhi in Ps. 41. annotavit. Davidem quoq; ad testificandam
latitiam animi sui, cum praeretur arca, cantantem Psal. 47. & psal-
lentem saltavisse: concinnoq; illo corporis motu animi fervidam
devotionem non tam ostendisse, quam excitasse. Ejus rei causa
Eccle.

Ecclesia quoque Organis animos ad pietatem & Zelum religionis excitare voluit.

Quamvis tamen negari nequeat, quod multum sapius mali ex choreis oriatur & habeant non admodum obscura pericula; tamen per se eas non esse impias vel malas, ex haecenus dictis liquido constat. Distinguendum igitur primum inter ipsas saltationes: Quaedam sunt nugaces & lascivae, nempe impudici corporis motus in gyrum facti, quibus inflammatur Venus. Has in republica ferendas non esse censemus, semper etiam Episcopi illas soliti fuerunt coercere, August. contra Petil. c. 6. Imo ipsissimi Ethnici inhonestos illos corporis motus damnarunt. Hippoclidus Tisandri filius, qui cum multis alij juvenibus Clisthenis Sicyonij filiam ambiebat, quum in convivio inde coram quadam saltationem edidisset, sublatis in altum pedibus, pater offensus inhonesto juvenis lusu, ait: Fili Tisandri a nuptijs tua saltatione excidisti. Intactam quoque relinquere hac occasione non possum historiam, quam recitat Olaus lib. 15. cap. 11. Septent. regionum. Gedani Prussiae urbe, anno Domini 1530. quidam mercatores, numero septem, cum tot meretricibus nudocorpore choream (quam Ada Evaque vocabant) ducentes jussu magistratus capti & ad publicam statuam virgis caesi, bonisque privati, perpetuo sunt proscripsi, domusque solo adaequata, lege annexa, ne quis eam, ullo unquam tempore inhabitaret.

Vt itaque lacivas illas, impias & omnibus modis detestandas saltationes rejicimus & detestamur; ita Choreas quas approbamus, accipimus pro numero, ordine & harmonia virtutis decoro corporis motu ad vivum expressis. De his loquitur Salomon, hos approbarunt florentissimae respub. doctissimi Philosophi, prudentissimi Politici & pii Episcopi. Deinde circumstantia locorum, personarum & temporis accuratè observentur. Fiant loco honesto, in conspectu honestorum virorum; sint etiam honesti & verecundi homines, qui choreas ducunt, absint inhonesta circumgyrationes



& gestus impudici; ut constituit Elector Augustus: non fiant in tempore alijs laboribus & potissimum sacris destinato. Refert Cranzius apud Trajectum cum olim turba hominum saltaret in ponte, & sacra interea negligenterur, ponte mox rupto circiter hominum 200. perijisse in flumine. Tandem etiam

Sit modus in rebus, sint certi denique fines.

Recreationis causa, non ad facietatem usq; saltandum. Hinc saltare & psallere tantum appendices conuivij facit Homerus Odiss. 9. & in moderato saltationum usu splendor comitatus manifestò apparet. Casus lib. 5. c. 8. q. 2. Hac & alia requisita si adsint choreas quasdam honoris gratia duci, cum Friderico III. Imper. dicimus. Panorm. l. 2. de reb. gest. Alph.

7 Spectacula † sunt celebriora quadam theatra civitatis, ut coram principibus stadiū currere, hastas ibrare, visu nova, sumptuosa & admirabilia ostendere. Quae quidem omnia & singula antiquissimis olim temporibus in omni preclarè instituta Republ. flourerunt; id quod Roma, Athenae, Lacedaemon, Carthago, aliaeq; mille civitates loquuntur, in quibus adiles ob hanc causam fuerunt instituti.

8 Ad argumenta † itaq; initio objecta respondemus, & quidem ad primum: Affirmamus nos & concedimus libenter, ludos, choreas, spectacula res esse minime utiles respectu maximarum rerum, quae in civitate solent nominari. Deinde in republica non tantum ea, quae utilia sunt, respici, observari & teneri debent; verum etiam, quae honesta, imo & jucunda. Non etiam tantum labor est necessarius; verum etiam quies & recreatio. Aristotelis itaq; verba non à plōs sumenda sunt: Non tantum enim ludus dicitur inutilis, Aristoteli; verum etiam eidem remissio animorum est & requies, lib. 7. Eth. c. 8. In secundo committitur fallacia accidentis. Saltatio perinde est ut usurpas, si in malum finem, mala; si corporis causa, bona, & suo tempore instituenda. Spectacula & ludi scenici, quos nos approbamus, mores non corrumpunt, sed corrigunt,
ania.

animos q̄ non ad inanes nugas, sed ad utiles vita ideas trahunt. Ad
tertium dicimus ne q̄ indecorum, ne q̄ impium esse, ut viri fœmina-
rū personas in scenico theatro fingant; non enim in veste, sed in men-
te sceleris contagio inest; ideo q̄ non monstrum est vestis, sed mo-
res scorti induere: at q̄, ut in tabula, ita quoq̄, in theatro sine injuria
& contumelia Regis imago proponitur. Patres quod attinet, solum
prophana & ethnica spectacula prohibuerunt, qua nomine Iovis,
Phœbi, aliorumq̄ idolorum superstitione celebrata fuerunt. Tandem
agnoscimus sanè hymnum canere pium, sanctum, & delectabile esse;
sed quaeso nobis edisserant, anne τὰ ἀειδήματα hac stare possint? For-
san ita disputantes nunquam edunt? nunquam epulantur? imò Co-
rinthum cum Demosthene nunquam salutant? Vana hac! In ludis
& choris laudetur nomen Domini. Psal. 150.

QVÆSTIO X.

An vocalis & instrumentalis Musica omni etati convenient.

Hac tandem questione, & quidem hac vice cymba nostra
littus leget. Sed, inquis, quid q̄ artis, an vocalis & instrumentalis
Musica omni cōveniat etati, cum nondū constet, an ullo modo feren-
da sit in Republica? Scio: Est hodiè quoddam hominum genus ni-
mis protervum & stoicè supersticiosum, quod cum Eudamida omnē
Musices usum in tabernaculo suo vanissime condemnat, nescio quam
causam summa pietatis, pratexens, quemve Deum planè ἀμάρτυρον
sibi fingens.

David † Rex, omnibus gentibus pacatis, religionis studia cō-
plexus, hymnos trimetros edidit; & cum his pentametros versus
plurimos, qui sabbatis festisq̄ diebus sacris solennibus canerentur:
adjecit his decachordem citharam & nabla duodecim vocum: cym-
bala adhac area, grandia quidem & lata. Sabellicus Aeneadis
l. lib. 29. Cumq̄ arcam Domini è Gabaa urbe Hierosolymam infer-

ret, citharis, nablis, tympanis, tibijs & cymbalis, omneq; genus
pincis instrumentis & ipse & Israelita coram arca iusserunt. 2.
Reg. 6. Saulem etiam legimus à Samuele ad prophetas ablegatum
esse saltantes & laudantes Deum instrumentis musicis.

3 Diabolus † à puros est. David enim ad Saulum recenti demo-
num incurfu exagitaturn accersitus est, ut cantu demulceret astu-
antem mentis furorem, id quod præstitit. Nam quoties in mor-
bum incidit Saul, stans David ad caput, cum sacros hymnos, voce &
fidibus cecinisset, ad sanam mentem reductus est. Ioseph. lib. 6.
antiq. Iudaic. cap. 9. Contra verò Deum & Spiritum sanctum
authore Musices eà summo opere delectari inde liquido constat, quòd
Musica spiritum propheticum excitabat. Ioramus n. Israelitarum
rex cum Iosaphato Iudæorum rege contra Moabitas exercitum
ducens per deserta Idumæa, septem diebus aqua destitutus misere
affligebatur. Eliseus vates consultus FIDICINE M sibi ca-
nere iussit; Eius cantu excitus, victoriam ei contra Moabitas de-
nunciavit, & postero die copiosissimam ex Idumæorum regione
aquam affluxuram. 4. Reg. 3. Prophetam Michæam legimus ab
Achabo rege Samaria accersitum, antequam prælii exitum præ-
diceret, iussisse coram rege ut instrumentum musicum pulsaretur,
eoq; pacto occupatum à Dei spiritu, prophetasse. Sed de hac que-
stione alia occasione fusius disputabitur.

4 Statuimus † itaq; Musicum exercitium omni ætati vitæq;
convenire; Primum pueritia & adolescentia: quia musica tam
vocalis quam instrumentalis plurimum valent ad rectè judi-
candum de moribus. Est enim expressa morum similitudo miraq;
affectuum ad studium virtutis inflammatio. Hinc veteribus
Græcis præ omnibus alijs curæ fuit, ut in musica institueretur ado-
lescentia: nempe cuius animos musicâ arbitrabantur informandos
& dirigendos ad decorum, quod referat musica ad omnia atq; ad
actionem omnem seriam, præsertim ad discrimina bellica Plut.
de Musica. Et Platonis institutum erat, ut iuventus Musica
disciplinis

disciplinis inter primas artes institueretur, ut graviora studia honesta voluptate lenirent, Id quod Pythagoras quoque censuit, qui repetitionos motus animi & mentis perturbationes nulla re magis, quam vocum concentu, mulceri putavit, Alex. ab Alex. lib. 2. c. 25. Accommodatum quoque est Musices studium delectabili & liberali puerorum & adolescentium exercitationi. Hæ enim duæ ætates sine exercitatione languent, cum quiescere omnino nesciant. Vigetur infantulis Archita crepitaculum dandum est, quo se delectent & exerceant; ita pueris & adolescentibus musica illa crepitacula & organica sunt proponenda & exhibenda, quibus liberaliter & honestè mentem capiant, moveant corpus, tempus fallant. Hoc est, quod Aristoteles lib. 8. Polit. Iuvenes musicâ erudiri vult, ut senes facti de ea possint iudicare, cū etiam ut & ipsi Musica honestis voluptatibus moveri possint. Non autem movetur, nisi qui intelligit, qui sint concentus, quæ verba.

Sed, inquis, hinc posset quis dubitare, an etiam senibus & ætate provecioribus praxis hujus artis conveniat, cum juxta Arist. propterea addiscenda sit in juventute, ut de ea in senectute rectè iudicemus, non ut eam exerceamus. Adde quod Musices exercitium homines efficere videatur illiberales & sordidos. Eneâ factus Sardanapalus mollis, Nero tyrannus, Alexander insolens, Homerus insanus, furiosus Hercules, Paris adulter.

Verum egregiè falleris, si hoc statuis. Sardanapalus habuit quidem suas lyras & varia Musices instrumenta: sed negamus lyram cassam fuisse, cur eò illecebrarum se demiserit, ut abjecta imperij maiestate, positus masculi sexus indumentis, mentitus sit feminam, interque puellas & eunuchos evirator spadone delituerit. Nero etiam Cytharadus fuit. Vnde etiam Ternum Cytharadum coluit, diebus continuis post cœnam canentis noctem assidens. Suetonius scribit, aliquando illa

illi prædictum à mathematicis, fore, ut imperio destitueretur; un-
de vocem illam Neronis celeberrimam extitisse, τὸ τεχνίον πῶσα
γούνα τῆς φῶς, quo majore venia meditaretur citharadicam artem,
principi gratam, privato necessariam. Itaq; cum intelligeret sibi
perendum, illud identidem dicit abbat: Qualis artifex peres: vel-
ut indignum esset, qui tantus esset musicus, ut ubi vis gentium vi-
vere posset, nunc fame ad mortem adigi. Ergone cithara in caus-
sa fuit, quod amitam purgatione interfecit, quod non tantum Clau-
dij testamentum violavit, sed Britannicum filium Claudij & so-
rores ejus trucidavit? quod intimos & familiares quosq; occidi-
curavit? quod matrem Agrippinam honore omni & potestate pri-
vavit, eamq; tandem crudelissima cæde occidit, in quam etiam
mortuam ita inhumanus fuit, ut nudum corpus in lecto jacens con-
fossam spectarit, tractaritq; etiam singula membra, ac laudavit
quædam, alia vituperavit, nec verbo temperavit flagitiosiore,
ὅτι ἡδὺ ὄν ἴστω καλῶν ἀντίεσσι εἶχον: nescivi mihi matrem esse adeo
venustam? Quod primus inter Cæsares publicis dictis per provincias
Christianos mandavit excruciarī, bestijs objecit, ignibus in luminis
nocturni visum adjudicavit, Paulum gladio, Petrum cruce exani-
mavit, & quæ sexcenta alia flagitia perpetravit? Quid hæc ad
Musicam? Ambitio, libido, levitas, avaritia, crudelitas, impietas,
contemptus Dei & religionis, & id genus alia vitia in causa fue-
runt, non cithara, non musica. Sic quid hæc commertij cum adul-
terio Paridis? Ineptum sanè est mentis labem in artis usum ver-
tere, vel propter scelus pessimi hominis splendorem artis & usum
rei eximia tollere. Fatemur quidem, quod fieri potuerit, ut ab-
usu fuerint divina hoc arte ad morum licentiam. Sed tollitne
abusus rem & ejus venerabilem usum? an inde concludendum
putas, omnes sordidos & illiberales effici, qui fides & nervos
pulsant, aut consorti vocum concentu ad numeros & modos can-
tant? Certè hoc est gladium Davidi negare, quia gladio seipsum
Saulus transfixit.

Quid




Quid ergo? an senibus decorum, si digitos musicis instru-
mentis admoveant, si canant, & similia opera musica exerceant?
Concedimus quidem, quod antea Aristotele allegavimus, potissimum
pueris & adolescentibus hujus artis tractatione, Viris vero & se-
nioribus judicium convenire: nihilominus tamen senes aut recre-
ationis causa ad solatium vite, aut causa contemplationis ad cul-
tum Dei hanc artem exercere possunt. Iudicium enim de arte,
non tollit ejus praxin: Modo illam non temere & inconsiderate
exerceant, nempe ut solent pueri & adolescentes in foro, teatro,
ludo; sed ut decet Viros, & senilem gravitatem, domi, in musaeo
in templo, ubi hymnos Deo canere & dulcissima pietatis instru-
menta tractare tam senili quam juvenili aetati convenit. Hinc
Socrates in senectute didicit Musicam à Conno fidicine: hinc Epa-
minondas senex lyram pulsare non recusavit. Alexander quoque
Mammaea, facundia Graca excellens, ad Musicam pronus, lyra,
tibia, organo, tuba cecinit, sed nunquam alio conscio, nisi pueris
suis testibus. Gregorius Magnus Pontifex, quamvis aeger in le-
cto decumbens, puerorum cantus moderabatur. Item de Beda
venerabili narratur, qui ne morti quidem proximus hoc genus stu-
dij intermisit. Pythagoras Samius non vulgare studium musi-
ca impendit, adeo ut universi machinam ex musicis rationibus co-
positam esse diceret. Imo videtur Gracorum sapientia per musica
theoremat a praecipue tradita fuisse. Apollinem idcirco omnium
deorum, Orpheumque omnium virorum musica peritissimos ac sa-
pientissimos existimarunt: Omnesque eos, qui hac ipsa
arte uterentur, Sophistas appellarunt. Athen.
lib. 14. cap. 13.




G

In







CENTVRIA
Quinta
QVAESTIONVM
ILLVSTRIVM PHILOSO.
PHICARVM.
In inclyta VVittebergensi Academia
publicis disputationum exercitijs
Sub praesidio
M. Iacobi Martini Profefs. publici
discussarum.

WITEBERGÆ,
Excudebat Martinus Henckelius, Sumptibus
Pauli Helvigij Bibliop. 1608.

